Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Martin Dautel

Dissertatio Iuridica, De Mutuo Publico

Argentorati: Spoor, 1681

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0001
DFG

Kr. K — 2 (80.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0002
DFG

1. Mascov de jure auspicii apud Romanos.
2. Mascov de primatibus metropolitanis et reliquis episcopis eccle-
siae germanicae.
3 Marbach de jure deceptorum.
4. Struv de opificibus.
5. Struv de brachio saeculari.
6. Struv de jure socerorum
7. Habermann de ratificatione.
8. Frommann de jure variandi.
9. Panong de poena adulterii ejusque indulgentia.
10. Dr Stutel de mutuo publico.
11. Bardili unicus testis nullus testis.
12. G. Engelbrecht de dotatione virginum nobilium in Pomerania.
13. Stypmann de minis seu comminationibus.
14. Mascov de verbis generalibus.
15. P. Müller de bene merito.
16. P. Müller de nova causa.
17. Werner de poenitentia.
18. Glueser de libero arbitrio. recudunt jus civile et canonicum
tam constituendo quam constituto.
19. Werner de auctionibus.
20. Roth de resignatione dominii judiciali.
21. P. Müller de evitatione majoris mali.
22. P. Müller de everticulo suspicionis.
23. Lyncker de vi legis in praeteritum.
24. Mehlbaum de delictis imprimis de furtis.
25. Rühle iniquitatis accusata jurisprudentia.
26. Bechmann de actorum publicorum auctoritate.
27. Schwendendörffer. de ultimis supplicüs.
28. Philippi jura circa cadavera humana.
29. P. Müller de praeoccupatione fori.
30. Bornius de eo quod justum est circa destinationem.
31. Mylius. de contractu libellario.
32. Münch de exceptione inhabilitatis contra advocatum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0003
DFG

33. Röder de prohibita rerum ecclesiasticarum alienatione.
34. Matthiae de denunciatione evangelica.
35. Strauss de obligatione patris familias in cujus aedibus incendium ortum.
36. P. Müller de praescriptione Saxonica.
37. Stryck de jure oblivionis.
38. Lyser de robbaria et vi bonorum raptorum.
39. Mylius. de libris mercatorum.
40. Romanus de varia injuriarum coercitione.
41. Linck de rubro nigro et albo.
42. Hahn de actionibus personalibus.
43. Brandt de legitima maleficos et sagas investigandi et convincendi ratione.
44. Ursinus de rationariis praefecturarum. Amtsbüchnerei.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0004
DFG

DISSERTATIO JURIDICA,

DE

MUTUO PUBLICO,

Vom

Entlehn- und Auffborgen der Obrigkeit.

AUTHORE

JOH. MARTINO D'AUTEL.

J. U. D.do

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR

M DC LXXXI.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0005

DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0006
DFG

Ad Lectorem Ben.

NIhil ferè Mutui Remedio frequentius, in casibus præsertim subitis, profligandis Reip. necessitatibus sublevandæque ærarij inopiæ adhiberi videmus; ita ut illius usum publicum, perinde ac privatum, penè quotidianum esse dixeris. Ita namq; Boterus in Polit. illustr. germ. vers. lib. 7. cap. 3. ait: Der gebräuchlichste Weg Geld auffzutreiben ist dieser/ den man gemeiniglich braucht: daß man Geld auff *Interesse* oder Zinß auffnimbt. *Ita & alij illud omnium extraordinariorum ferè frequentissimum, nec non præsentissimum ac tutissimum esse remedium, decantant. Quare, cum illud, sive ordinario modo acceptum, sive imperatum, sive compulsum & vi ablatum, à Dd. & Politicis communiter necessitate & utilitate Reip. partim excusari partim approbari, partim etiam ab iisdem summoperè Reip. ceu rem ipsi exitiosissimam, dissuaderi, deprehenderem; aliquoties desiderium penitius cognoscendi, quî Mutuum publico bono consultum ac salutare esset, & quamnam hoc cumprimis nomine haberet justitiam? animum meum, de Dissertationis inauguralis argumento, quod rebus humanis usui & necessarium esset, solicitum, subiit; ut tandem jucundam & utilissimam hujus disquisi-*

tionem, à nemine hactenus, quantum ego scio, ex professo susceptam, è manibus amplius, quantum vis laboriosam, dimittendam esse, minimè censere possem. Primam autem & potissimam avidius & altius in Mutui Publici justitiam inquirendi ansam præbuit mutuum, quod ante aliquot annos Illustris inclytæ nostræ Reip. Argentin. Magistratus, furentis nuper belli Gallici, & tantùm non pomœria nostra consumentis, diritate coactus civibus suis imperavit, salutiq; ex inde communi, pro qua de terrimè & integerrimè hactenus æterna cum sua laude sudavit & laboravit, consulere sategit; quemadmodum Ipse circa annum hujus Sec. XXXII. ad idem remedium confugere necesse habuit. Non igitur opus est, ut hujus argumenti dignitatem utilitatemq; Tibi, B.L. verboso commendem præloquio, cum illud ipsum, tot Principum ac Rerump. usu celebre, ultrò tuum provocare ad plausum possit; exopto tantùm, ut pro tua forsan expectatione illud majori accuratione gratioriq; adornatu excultum in his Disputationi inaugurali destinatis pagellis exhibere licuisset. Nullus tamen dubito, quin laborem meum pro benevolo tuo affectu æqui boniq; consulturus, meque, si qua in parte errare tibi visus fuero, placida institutione, meliorem docturus sis sententiam. Vale, atq; tuo me favori commendatum habeas: rogo.

I. N. D. N. J. C.

DE

MUTUO PUBLICO.

§. 1.

MAteriam de Mutuo Publico pro argumento Disputationis Inauguralis, plenius à nobis jam dudum in privatis schedis elaboratam, hic tantâ, quantâ per materiæ explicationem licebit, brevitate publico eruditorum examini proponere visum est. Mutui etymon exhibet Venerandus noster Senior VIR Magnificus &c. Dn. D. Rebhan. *Patronus ac Præceptor noster filiali observantia æternum colendus*, in Hodeg. Jur. p. m. 471. Allusio, quam Imperator nr. *pr. Inst. quib. mod. r. contr. Obl.* & Paulus *l. 2. §. 2. π. de Reb. cred.* de voce, mutuum, habent, ansam notandi hic præbet, Salmasium & communiter ferè philosophos, secus quam Imperatorem nr. sed minus accuratè, de translatione dominii in re, mutuo datâ, philosophari; sed excusantur hactenus ratione justi naturalis, quo res mutuo data, in genere restituenda, dantis adhuc mansisse videtur. add. Dn. Strauch. *in Diss. Justin. XIII. aph. 2.* v. Cl. Fabroti *replicat. adv. Claud. Salmas. per tot.* *Mutui Etym.*

§. 2. Homonymiam item Mutui exquisitè satis evolvit prælaudatus VIR Magnificus *d. l.* Vocis germanicè Leyhen videre licet apud Speidel. *in Spec. Jurid. sub voce* Leyhen. Nobis hic substantivè *Mutui Hom.*

stantivè acceptum, notat ipsum contractum & factum, quò res, etsi nominetenus saltem, mutuò accipitur; nec sensum politicum, quem vox, *Publicum*, ei innectit, ab hoc loco alienum habere possumus, quo medium ac Remedium, publicæ necessitati & utilitati egregiè conferens, audit; sicut & privatum mutuum à privatis, suæ necessitati ac utilitati consulendi ergo, iniri ac sumi solet, *l.4. pr. l.9. § ult. l.11. pr. de Reb. Cr. l.19. pr. π. de Præscr. Verb.*

Voc. Publicum Etym. & Homonym.

§. 3. De Etym. & Homonym. vocis *Publicum* adeatur iterum Venerandi nostri Senioris *Hodeg. Jur. p.205.* Mutuum nobis *Publicum* dicitur à subjecto accipiente & fine; adeoque *autoritate & utilitate* simul publicum est; quâ denominationis ratione etiam hoc nostrum, quod Disputationi huic selegimus, distinguitur ab omni alio, quod Respublica vel ejus vice persona, summa potestate gaudens, bono instituto pauperibus suis civibus, eorum egestati & deficientiæ obviandi ergò &c. dat; Exemplo Antonini Pii, *Jul. Capit. in Vit. ejus c.8.* & Alexandri Severi. Lamprid. *in Vit. ejus c.21. & 26.* Augusti item & Tiberii. Suet. *in Vit. ejus c.41. & in Vit. hujus c.48.* conf. Bodin. *de Rep. lib.6. c.2. p.m.1040.* add. Bornit. *de Ær. lib.1. c.7.* quod totum descripsit Faust. *in Conf. pro Ær. Class. X. ord.771.* (2.) quod Resp. immediatè ærarii augendi causa aliis quibuscunque fœnerare solet: quo nomine celebre est Collegium Georgianum Genuæ, teste Bodin. *d.l. p.m.1041.* & Norimbergæ, das Pfandhaus.

Mutui P. Synon. general.

§. 4. Utrumque Mutuum, & quod hujus loci, & quod ab hoc loco remotum volumus, communi Synonymo, *Mons Pietatis*, passim à Scriptoribus & Dd. nuncupari solet. vid. Bornit. *d.l.* imprimis Venetarum rerum scriptoribus, *Mons*, absque addito dicitur. Germanicè Berge der Gottseligkeit/ Lehensberge; Italicè, *i Monti della Pietà* vel *Impresiti*. Donat. Janott. *ab Hieron. Megiß. germ. translat p.m.258.* Faust. *pro Ær. Class. XIX. ord.1521.* & *Class. V. ord.534.* Solenne enim Italis & potissimum Romanis Pontificibus familiare est, modos & rationes conficiendarum cogendarumve pecuniarum hôc tegere velamine, hacque captare metaphora, confer Tholos. de Rep. *lib. XIII. c.16. n.10. seqq.* Hujus appellationis rationem, aliaque de variis Montium pietatis generibus, scitu jucunda & necessaria, exhibent tractatus

varii.

varii de Montibus Pietatis à variis conscripti; inter quæ legi quoque meretur eruditum Elychnii Gottlieb scriptum de Montibus Piet. Roman. cujus verus Autor, non, ut hactenus credebatur, est Dominus Georg. Obrechtus, sed fuit is VIR Clarissimus atque Consultissimus Dn. Mag. Theophilus Dachtler/ quondam in illustri hac Rep. Senatus minoris Actuarius & Referendarius meritissimus, quem clarissima Familia Franziana, de Rep. nostra longe meritissima, inter avos suos, Maternum veneratur. Vir aliàs sua ætate erudito orbi non incognitus, nec ipsi Limnæo *lib. VII. de I. P. c.3. p.m.62.* cui & alia eruditissima scripta, sub nomine Theophili Elychnii edita, atque à Placcio *de Anonym. & Pseudon. p.188 n.318. seqq.* recensita, vindicanda sunt. His addi possunt, qui materiam de Ærario prosequentes, montium quoque Pietatis passim meminerunt. De Gallorum *Emprunt*, quo nomine Mutuum significant, videatur Buleng. *de Vect. Pop. Rom. c.58. p.m. 96.* Optimè illud descripsit Lazare du Crot. *au traitté des Aid. Taill. & Gabell. de France. p.m.106.*

Theoph. Dachtler.

§. 5. Definimus autem MUTUUM PUBLICUM per Contractum realem, quo summa civitatis potestas, seu persona, quæ illa potitur, rem fungibilem salutis publicæ conservandæ & promovendæ causa accipit ea lege, ut tantundem in genere restituat. Differentia specifica desumitur *à subjecto accipiente & fine*; quâ utique ab omni alio mutuo tùm publico, ceu modo diximus, cùm privato & communi facile dignosci poterit. Hanc porrò definitionem ita generaliter positam esse mihi persuadeo, ut omnibus hujus mutui speciebus veris (nam species analogas, quales censeo mutua merè coacta, nomen saltem, commune cum veris aliquo modo obtinere posse, abundè sufficit.) distribui queat.

Definitio Mut. P. *Differ. specif.*

§. 6. Dividimus illud à forma essentiali, seu alio modo considerandi, à causa efficiente proxima in Imperatum & Non imperatum: Utrumque, in spontaneum & invitum.

Divis. Mut. P.

IMPERATUM quis alio nomine vocaverit Mutuum subsidiarium, habito respectu ad id, quod extra ordinem ceu onus subditis imperatur atque in subsidium Resp. vocatur; hinc synonymicè Dd. audit: Onus pecuniæ mutuò sumptæ; Quasi tributum; quasi Collecta; quasi vectigal: item pecunia ex censu Civium

Imperati Syn.

vium conferenda appellatur à Contaren. *lib IV. de Rep. Ven. p.m. 206. seqq.* Item collatio & modus extraordinarius; Collecta pactitia &c. de quibus appellationibus infra in causa form. constabit plenius.

Inviti Synon. INVITUM apud eosdem sortitum est nomen Mutui Necessarii, Coacti & Compulsi; quæ tamen horum nominum distincta appellatio non perpetua.

Imperatum Spontaneum quid? Est autem IMPERATUM idque SPONTANEUM verus contractus realis, quo summa potestas à civibus suis volentibus & sponte consentientibus certam pecuniæ summam, quam iis Mutuo Reip. concedendam imperavit, accipit ea lege, ut idem in genere restituatur.

Imperati inviti Defin. & Divis. IMPERATUM INVITUM duplex facimus, *alterum* mixtum, *alterum* merè invitum seu coactum. MIXTUM, seu mixtè invitum est, quando civis in mutuum, quod imperatum, metu pœnæ aut alterius mali majoris, à superiore incusso, mavult consentire, quam graviora expectare. MERE INVITUM, seu Coactum est, quando civis in mutuum à superiore imperatum, omnimodo consentire detrectat, ita ut ipse superior rem mutui nomine violenta manu auferre necessum habeat. *Utrumq;* rursus potest dici *vel* licitum *vel* illicitum. *Illud*, si superior justam mutui imperandi & exigendi causam habuerit, justoq; modo, quantum possibile, imposuerit illud atque exegerit. *Hoc*, si nullam habuerit causam, neque licito justoque modo exegerit; Quod etiam quis *ad Non-Imperatum* invitum referre potest, quia ad iniqua & tyrannica nulla civilis potestas competit.

Non-Imper Spontaneũ quid? NON-IMPERATUM SPONTANEUM est, quod summa potestas communi gentium more vel cum civibus absque prævia jussione, vel cum extraneis, relicta utrisque consentiendi & dissentiendi libertate, contrahit.

Non Imper. Inviti Defin. & Divis. NON-IMPERATUM invitum itidem duplex constituimus, *vel* Mixtum, *vel* merè-invitum. *Illud* est, quod summa potestas alienæ Reip. à personis exteris, in quas nullum habet imperium, vi metuve extorquet, ipsæque malunt consentire, quam graviora experiri. *Hoc*, quod merè compulsum, est, quando eadem

eadem alienæ Reip. potestas personis extraneis, quantumvis renitentibus, res eorum mutui nomine violenter aufert. *Vel*, quando Civitas absque prævio imperio civibus suis insciis & invitis res & bona eorum Mutui nomine, urgente summa necessitate, sumit & aufert. Quæ, qua ratione Summæ potestati liceant, ex mox dicendis apparebunt.

§. 7. Possent hîc aliæ adhuc Mutui hujus divisiones, à modo illud exercendi & ab adjunctis desumptæ, subjici, quas tamen passim è Dd. & scriptoribus de Montibus pietatis, nec non ex illis, qui de Ærario tractatus ediderunt, haurire licet. Sic *aliud* est Usurarium, *aliud* non-Usurarium: *alius mons* constituitur sub annuis 5. vel 6. pro centenario, creditori solvendis: *alius* ita ordinatur, ut ex vectigalibus & aliis reditibus civitatis annua præstentur: *alius* iterum aliter. Quot verò & quales pietatis Montes, Mutuum nostrum celantes, Romæ à Pontificibus fuerint erecti, supra jam laudati Dd. & scriptores pluribus persequuntur. Venetiis tres sunt Montes, à tempore quo instituti sunt, appellati: Mons Vetus, Novus, Novissimus & Mons subsidii; *il Monte vecchio, nuovo, nuovissimo & del subsidio.* Donat. Janott. *d. l.* Barbarico *in discurs. de Bell. cum Austriacis &c.* quem citat. Faust. *in Cons. pro Ær. Class. 19. ord. 1521.* Sed pergendum ad causarum tractationem. *Aliæ Mut. P. Divisiones.*

§. 8. Mutuum quodcunque tàm privatis, quàm publicis personis, quæ τῷ Κυρίῳ civitatis potiuntur, Jure Nat. sumere concessum est ac licet; atque hæ non minus nomine publico, quàm illæ, imò utræque ad privatam suam utilitatem promovendam levandamque necessitatem mutuari ab aliis quibuscunque possunt; nisi in privatis ad tollendos circa hanc licentiam abusus à suprema potestate id ipsum restrictum ademptumque fuerit, ceu passim hujus restrictæ & ademptæ facultatis exempla in Jure nostro, de Præsidibus Provinciæ, de filio familias &c. occurrunt. *Causa Effic. Rem.*

§. 9. Distinguimus autem secundum exquisitam Doctrinam VIRI Maximè Reverendi & Excellentissimi Dn. *Alberti*, SS. Th. D. & Prof. Lips. celeberrimi, *Fautoris ac Præceptoris nostri, nunquam sine honoris præfatione nominandi*, quam habet in aureo

libello *de Jure Nat. Orthod. Theolog. conform. part. I. c.* 1. §. 35. 36. *seqq.* jus Nat. in Formale & Normale, Mutuumque Normali, quod in hoc demum statu corrupto, ex hypothesi illius, esse cæpit, adscribimus; quia totum illud, ut & emptio-Venditio, Locatio Conductio &c. ad sublevandam indigentiam propellendasque necessitates humanas, à statu integro semper alienas, à Natura inventum est. §. 2. *Inst. de I. N. G. & C. l.* 5. π. *de I. & I.* Grot. *de I. B & P. II,* 12,11.14. & 19. Excell. Dn. Albert. in prælaud. libell. *part. II. c.* 9. §. 2. add. *c.* 4. *per tot.* Exceptis actibus & contractibus beneficis, quos Grot. *d. l. n.* 2. simpliciter tales vocat, per ea quæ habet Dn. Albert. *d. l. c.* 4. §. 2. *seqq.* inter quos referenda Donatio nec non Commodatum; quia corrupti hodie æque ac integri olim ad liberalitatem exercendam obligati sumus; quare in Mutuo etiam quàm proximè ad benignissimam primævam rerum communicationem accedendum esse non sine ratione docet Idem Excell. VIR. *d. part. c.* 9. §. 18. rejectâ hic primæva rerum communione, quo nomine solidè refutatur Grotius ab Excellent. Dn. Bœcler. *p. mem. lib.* 1. *Inst. Polit. c.* 5. *p.* 61. & *in Comment. ad Grot. II,* 2. *p.* 37. *seqq.* Dn. Albert. *d. part. c.* 7. §. 15. *seqq.* & §. 19. *seqq.*

Mutuum ex Normali Iure Nat. deriv andum

eoq; Concessivo.

§. 10. Porro Mutuum ex Normali Concessivo derivandum esse putamus, quod ita patet. Ut enim homo Obligationi, à normali præcepto injunctæ, quâ scil. ad amissam pristini status tum publicam, tum privatam αὐτάρκειαν rerumque abundantiam pro viribus superstitibus recuperandam tenetur, satisfacere posset; media quoque ad finem istum perveniendi concessa non esse non potuerunt. Unde tam varia vitæ genera atque modi acquirendi & contrahendi inter homines Natura introduxit, ut, relicta unicuique libertate, ex licitis & sufficientibus possit hoc aut illud perinde eligere atque adhibere; quo etiam mutui contractum referendum putamus. conf. Dn. Albert. *d part. II. c.* 4. §. 7.

Hinc liberæ debet esse voluntatis.

§. 11. Ex hac simul libertate naturali etiam constare potest, qua ratione omnes contractus atque in specie Mutuum liberæ debeant esse voluntatis *l.* 5. *C. de Obl. & act.* ut nemini, quantumvis extremè egenti, alterum, quantumvis divitem, multò minùs eadem re opus habentem, ad mutuum sibi dandum cogere, domino-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0014
DFG

minoque invito rem suam auferre liceat; contra Perez. *ad Cod. de furt. n.* 10. *verba: facit quod &c.* & Grot. *de I.B & P, II,* 2,6. confer Dn. Bœcl. *in Comm. ad Grot. d.l. p.m.* 64. *seqq.* Dn. Albert. *d.lib. p.I.c.*1. §. 66. utut opulentus, si non hoc semper, alio tamen modo ad succurrendum egeno naturaliter sit obligatus. *Deut. XV,* 7. *seqq.* Et certè quilibet ex circumstantiis, per quas omne præceptum Naturæ in prima promulgatione est diffusum, dimetiri ac colligere potest; si egenus, quando & à quo sibi mutuum petere liceat; si opulentus, quando & cui mutuo succurrere debeat, & quo usque ad charitatis officia, ne se suosque in eandem conjiciat indigentiam, exercenda, sit obligatus; de quo quemlibet etiam loca sacra erudire possunt. *Deut. d.l. Ps. XXXVII,*26. *Ps. CXII,* 5. *Proverb. XIX,*17. *Syracid. IIX,*15. *& XXIX,*1, 2,11,12,24. *seqq.*

§. 12. Hæc, quæ in singulis hominibus Jus Naturale circa mutuum constituit, quamvis de integris quoque Civitatibus & Rebusp. vel inter se vel ad singulos homines, extra se constitutos, relatis, vera sint; atque illas, ita consideratas, eadem hæc imitari jubeat Natura; quia Civitates personæ, si non veræ, mysticæ tamen, rationem subeunt. Grot. *de I. B & P. II,*9,3. *seqq. & c.*14. *n.*1. *arg. l.*2. *π. quod cuj. univ. nom. aut contr. l.*30. *pr. π. de Usurp. l.*22. *π. de Fidej.* Non tamen eadem ubique in negotiis, inter Imperantes & parentes in una eademque Civitate constitutos obvenientibus, jure Nat. propter inæqualitatem, inter illos intervenientem, obtinere possunt; quin potius aliud aut plus iis, qui superiores sunt, liceat in parentes, qui illis longè inferiores sunt, quique illorum imperia atque præcepta, pro singulorum & totius Reip. salute constituta, suscipere atque rata grata Jure Natur. habere tenentur. *Iuris hujus applicatio ad Civitates & Respp.*

§. 13. Summa igitur Potestas, existente causa publica, non tantum Mutuum communi modo & jure cum extraneis æque ac suis subditis, relicta unicuique libertate naturali consentiendi & dissentiendi, contrahere potest; Quod enim Jure Nat. in tanta rerum penuria privatis ad sublevandam indigentiam suam concessum, id tanto magis ad Indigentiam Reip. sublevandam ejusque utilitatem promovendam, ceu bonum majus (nisi alia decentiæ ratio obstiterit,) licere putandum est; & hoc eò magis, quò *S. Potestati licet Mutuum & communi jure cum quibuscio inire,*

quò magis etiam DEUS & Natura Imperantibus peculiares modos, singulis privatisque minimè licitos, e. g. Tributa, Collectas exigendi &c. de quibus passim Dd. de Ær. concessos esse voluit; neque in historiis Mutui hujus, toties à Rebusp. cum quibusvis

& subditis imperare, & ad id cogere.

initi, exempla desunt. Sed & civibus ac subditis suis, suæ potestati subjectis, ut Mutuum nomine publico secum ineant, valide ac licitè imperat, invitosque planè ad illud cogit. Cum enim à

Ratio nitēs jure Imperantium.

DEO non tantum Imperantibus & superioribus in Rep. ejus salutis ac felicitatis cura concredita esset, sed & eosdem ab Eodem in hac seculi perversitate, qua singuli à recti tramite communique civili bono facile deflectunt, instrui & armari hac potestate necesse fuisset, ut tàm homines, in suam civitatem congregatos, ad commune summumque bonum civile dirigerent, quàm detrectantes & refractarios ad id sui officii cogerent; iis etiam, omni ratione assentiente, non potuit non licitum fieri, ut, exigente Reip. necessitate & utilitate Mutuum subditis imperare eosque invitos ad illud cogere queant.

& debito civium.

§. 14. Pro immotæ enim veritatis regula est habendum; Posse civem & subditum imperio superioris ad omnia ea justè adstringi & cogi, ad quæ alias vel Naturæ vel DEI lege tenetur. Ut adeò reciprocè verum sit, omnem superioris potestatem injustè ac illicitè exerceri in eo, quod nullo civis debito ac merito nititur, quocunque etiam intuitu ac prætextu honestatis ac utilitatis publicæ id veletur; licet factum ejusmodi superioris validitate ex-

quoâ, unde & ad quæ?

terna non destituatur. Jam ad quæ quæso! civis ex φιλαυτίᾳ ordinata, charitate in proximum & antidorali obligatione, ut & propria promissione sive tacitâ sive expressâ, pro Reip. salute non potest esse obstrictus? pro cujus conservatione etiam, ut vitam periculo exponat sanguinemq; suum effundat, justè juberi potest. vid. Excell. Dn. Bœcl. *in Comm. ad Grot. lib. 1. p. 98.* Dn. Zigler. *ad Grot. de I. B & P. II, 25, 3.* rationem ejus reddit Dn. *Albert. de J. Nat. part. II. c. 3. §. 32.* add. *c. 14. §. 6.* ex quibus temperandus Grot. *d. loc.* Qui igitur non teneatur civis & subditus pro eadem, si vel utilitas vel necessitas id efflagitet, bona sua profundere atque tanto magis certam illorum portionem Mutui nomine in indigentem Remp. conferre, cum & unicuique indigenti proximo

Mutui

Mutui datione succurrere passim in sacris & à Natura ipsa, si hoc medio id commodè fieri potest, jubeatur; ut profecto impius sit civis, qui, quod patriæ debetur, declinat. *l. si quis decurio. 55. C. de Decur. l. un. C. si curial. rel. civit.*

§. 15. Non minus igitur ex præmisso fundamento consequitur, quàm quod jam communi gentium jure & civili nostro receptum atque communi Dd. assensu approbatum est, *Posse* Superiorem ex causa publica Monopolia exercere, uti hodie est monopolium salis in Gallia &c. vid. Perez. *in Cod. de Monop. n. 3.* Grot. *de l.B & P. II,12,16.* (2.) Civibus imperare, ut salutis publicæ causa secum contrahant *l.13. §.1. π. Comm. prædior. l.1. & 2. C. ut nem. lic. in empt. l.1. & 2. C. de quib. mun. vel præstat. &c.* & passim Dd. conf. Grot. *de l.B & P. II, 25, 3. vers. 4.* Clapm. *de Arc. rerump. lib 4. c.16.* (3.) Jus quæsitum subditis auferre quærendumque iis antevertere. *l.15. §.2. π. de R.V. l.11. π. de Evict. l. si quando. 9. l. ædificia. C. de Oper. publ. l.4. C. de Primip. & textt. parall.* Dd. item & Politici communiter. (4.) Onera & tributa tàm ordinaria quàm extraordinaria civibus imponere *ad Rom. XIII.3. 4.6. Nov.149. c.2. Nov.8. c.10. §.2. & textt. parall.* Grot. *de l.B & P. I,2,7. vers.12.* (5.) etiam Res DEO dicatas necessitatibus publicis profanisque adhibere, e.g. templa incastellare & propugnaculis occupare, Arnis. *de l. Maj. lib.3. c.1. n.12.* Grot. *de l.B & P. III,5,2.* Clapm. *d. l. c. 22.* quod tamen extra necessitatis & magnæ utilitatis publicæ casum meritò illicitum est. *per c.14. 10. q. 1. fac. c.5. X. de Immun. Eccles.*

argumenta alia ab eo, quod vel idem vel plus.

1.

2.

3.

4.

5.

§. 16. Quæ omnia cum partim plus sint, partim parem cum Mutuo, subditis imperando, rationem habeant, firmum etiam ab his argumentum ad mutuum ducitur *per c. cui licet plus. de R.I. in 6.* Plus certè etiam est, posse Summam Potestatem civibus tributa imperare & exigere, quàm Mutuum; quia ex causa Mutui subditis creditum, Reip. collatum, bona fide est restituendum, quandoque etiam cum lucro & fœnore; ex causa verò tributorum nihil refundendum est, nisi si quid iniquè exactum, conf. Bodin. *de Rep. lib.6. c.2. n.654.* Unde haud fallunt, qui Justitiam hujus ex Jure Majestatis circa Tributa & Vectigalia, nec non subditorum obligatione ad ea arcescunt. Conf. Perez. *in Cod. de su-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0017
DFG

perind. n. 5. & Dn. Bœcl. *in Comm. ad Grot. lib. 1. p. 125.* Mutuum enim hoc imperatum revera quoque naturam onerum & tributorum ex parte ſapere, infra in cauſa Formali probatum dabimus.

Debitum civis eſt reſpectivum.

§. 17. Verum enim verò hoc cujuslibet Civis & ſubditi officium debitumve, utpote juxta alios in civitate, eadem obligatione obſtrictos, degentis, abſolutum eſſe nequit; ſed reſpectivum tantum eſt, ut non niſi pro determinata ac rata portione, quam relatio ad concives importat, publico aſſiſtere teneatur; ſingulis concivibus ad reliquum officii ac debiti, pro rata itidem portione diſtribuendum, obligatis. Utut in theſi verum ſit, civem quemlibet ſe ſuaque omnia Reip. debere; atque idem in hypotheſi tum verum fiat, ſi neceſſitas & utilitas publica pro rei loci ac temporis inevitabili circumſtantia unum alterumve civem ita arctè comprehenderit, ut niſi eo tempore ac loco rebus ſuis, abſque menſuratione ſcl. proportionis, ad reliquorum debita faciendæ, ceſſerit, Reſpublica, aut planè ſalva eſſe non poſſet, aut aliud ingens damnum, privato longè majus, ſentiret. Unde & hoc caſu, ancipiti ita rerum civilium conditione, ut diſtributio oneris ſeu ſummæ, à civibus mutuandæ, cuique pro virili fieri nequeat, unus alterve civis, à quibus ſumma neceſſaria haberi poteſt, jure compelluntur, ut pecuniam Reip. ſoli mutuent, conf. Excell. Dn. Bœcl. *in Comm. ad Grot. lib. 1. p. 88.* Sed nec hoc caſu Reſpectivam civis obligationem in abſolutam omnino degeneraſſe, & tranſmutatam fuiſſe, eſt putandum. Nam etſi hoc modo debiti illius relatio ad concivium debita fieri haud potuerit; alio tamen reſpectu inque alia re relationem atque menſurationem recipere poteſt; cum juſtitiæ natura, quoties ad idem pervenire non poteſt, ſemper feratur ad tantundem, quod eſt moraliæſtimatione idem. Grot. *de I. B & P. II, 7, 2.* Ut proinde, quam primum ratione loci ac temporis poſſibile erit, ei, qui totum onus abſolutè ſuſtinuit, reſtitutio aut compenſatio ſit facienda *in eo*, quod reſpectivè, in ratione ſcil. ad concives, non debuit; ne cauſa communis, quæ ad omnes ſpectat, unius ſumtibus adjuta & curata eſſe contra naturæ legem dici neceſſe ſit. *l. ſecundum naturam 10. π. de R. I. l. 206. π. eod. l. 14. π. de Cond. indeb. l. 2. pr. π. ad L. Rhod. de jact. c. quod omnes, de R. I. in 6, c. 49. & 56. X. eod.*

Vaſq.

Vasq. in proœm. *Illustr. Contr. n.* 30. & 31. & *lib.* 1. *c.* 3. *n.* 8. *c.* 5. *n.* 1. & 16.

§. 18. Sed specialiter ratione Mutui dicendum etiam est, posse unum alterumve divitem, à quibus summa necessaria integrè ac commodè, (i.e. citra exinationem rei illorum familiaris atque diminutionem ejus, quod ad honestam status conditionem requisitum, adeoque ceu ex bonis illorum superfluis) haberi potest, Necessitate ac utilitate quantumvis moram distributionis æqualis patiente, non tàm justè persuaderi, quàm licitè cogi, ut ipsi soli hanc pecuniam Reip. necessariam credant. Idque non tàm propter naturam & legem Mutui, ex qua idem integrè, sæpe etiam cum lucro, recipitur; quàm potissimum propter obligationem in cive opulento naturalem, quâ & erga Remp. & ergâ concives, tenuiore fortuna utentes, obstrictus est.

§. 19. Denique extra controversiam esse statuimus, licere etiam Principibus ac Superioribus in Rep. privatæ suæ necessitatis ac utilitatis causa subditis mutuum imperare, eosque nolentes ad id præstandum compellere; præsertim quia summa imperantium conditio, sanctumque & excellens illorum officium in tanta rerum penuria factum est summum etiam & excellens medium, quo sufficientiæ illorum privatæ abunde consultum sit, ut non tantùm inter publica sibi suoque commodo secundario per amorem concupiscentiæ favere possint. Dn. Albert. *d. lib. p. II. c.* 14. §. 5. verum & hoc ipso cives suos habeant obligatos, ut se suosque pro dignitate & splendore Reip. sustentent, quo promptius ac dexterius Reip. saluti vacare queant. Atque hac ratione ipsa prædicatio & ministerium verbi divini ministro Ecclesiæ indirectè ac per consequentiam necessariam factum est modus ac medium se suosque exinde sustentandi 1. *ad Cor. IX*, 7. *seqq.* add. Tholos. de Rep. *lib. XIII. c.* 16. *n.* 1. ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς μισθοῦ αὐτοῦ ἐστι. *Matth. X*, 10. *Luc. X*, 7. 1. *ad Timoth. V*, 18. add *l.* 7. C. *de prox. sacr. l. ult. prop. f.* C. *de quadr. præscr.* Cum igitur imperantibus hoc nomine tributa à subditis exigere liceat *Matth. XXII*, 21. *Rom. XIII*, 6. quidni etiam Mutuum illis imperare; quemadmodum Ludovicus, Joannes & Franciscus I. Reges Galliæ, cum in hostium potestatem venissent, ex mutuo subditis imperato, quod *Emprunt* vocant,

Licet Principi etiam propter suæ suorumq; salutem Mutuum imperare.

Prædicatio Verbi divini est modus acquirendi licitus.

λύτεως sua persolverunt, teste Buleng. *de V.P.R.c.*58. nec eo minus hoc mutuum publicum erit, eoque utilitas publica promota dici poterit; quoniam tàm arctè boni principis salus cum salute totius Reip. connexa est, ut non immeritò digna Regis sustentatio publica utilitas dicatur Francisco Toleto *lib.5. instr. sacerd. c.72.n.4.* Hinc Principibus & magistratibus in bene constitutis Rebusp. suæ sustentationis causa ordinati sunt certi reditus, fisci, designataque prædia, aliaque, quæ Grotio dicuntur Patrimonium, quod principatum sequitur. *de I.B & P. I,3,12.vers.3.* sed de his alibi plura.

Quo nomine speciali Potestas imperandi mutuum veniat?

§. 20. Licet autem per nos hanc Imperantium in bonis ac possessionibus civium potestatem, ex qua mutuum civibus suis imponunt, illosque ad id cogunt, quocunque peculiari nomine melioris doctrinæ ergò vocare; nec nos sibi adversantes habebit, qui illam nomine *Juris Dominationis* vel *supereminentis* cum Clapmar. *de Arc. Rerump. lib.4.c.1.2.seqq.* aut nomine *Dominij eminentis* cum Grotio & aliis insigniverit; Sicut & universum jus regendi populum suo modo Dominium civile appellari potest. Grot. *de I.B & P.I,3,8.vers.6.* nemini enim hic de verbis litem movebimus; modo rei veritatem, ceu decet, attigerit iisque significaverit. Hoc in super observato, quod Dd. ac Politici sub istis & aliis vocibus de extraordinario agendi jure & potestate imperantium ut plurimum loquantur, atque ea ad solos necessitatis casus, sive bona sive personas civium respicientes, restringant. Econtra nos Dominium Eminens, si cui id nominis placuerit, (1.) ad solum jus & potestatem imperantium in bona & possessiones civium, ceu commune aliàs Dominii & Juris in re objectum, distinctioris doctrinæ gratia aptari posse putamus, eoque non tàm extraordinariam quam ordinariam potestatem significamus; proinde etiam Dominium hoc in ordinarium & extraordinarium, eo, quo diximus modo in *Disp. nostra de Vicef. Hered. c.3. θ.13. seqq.* commodè distingui potest. (2.) Illud proprium Dominiũ haud habemus, *vid.* Leiser. *in Diss. pro Imp. §.5. & 30.* Arnis. *de I. Maj. lib.3.c.1,n.10.* Idcircò non absque ratione recedimus à Dominio Eminenti cùm Grotiano, tùm Horniano. Hoc maximè improbamus, quod refutatum vide apud Lyser. *in d. erudita Dissertatione pro Imper.* Grotiano verò hactenus assentiri non possumus, quod ipsius Autor illud haud

obscurè

obscurè commento suæ primævæ communionis fundet, *lib. de I. B & P. III*,20,7. junctо *lib.*II,2,6. *& c.6.n.5.* conf. Dn.D.Rœmeri *Disp. Inauguralem de Dom. Em.* Deinde, quod illud cum exceptione Dominii privati esse intelligendum, sicque veri alicujus Dominii essentiam quoque habere, explicet, interprete Excell.Dn.Bœcl. *in Comm. ad Grot. de Dom.Em.p.*93. Nullibi enim probari potest, DEUM, summæ potestatis civilis immediatum Autorem, ejusmodi Dominium verum illi imprægnasse; neque illud ex consensu tacito Civium, in communionem coëuntium elici ac concludi justè poterit; de quo in cathedra publica forsan pluribus.

Num liceat exteros ad mutuum compellere? Neg. de Iure Nat.

§. 21. Sicut autem indigenti Reip. propter hoc, quod indigeat, nulla competit potestas seu imperium in nonsubditum aut Extraneum, utpote æqualitate libertatis cum ea gaudentem; ita non nisi amicè mutuum ab eo solicitare atque rogare potest; nullo modo verò illud imperare, multo minus violenter ab extraneo auferre licebit; utut extraneus αὐτάρκης æquè Reip. alienæ indigenti, ac singulis aliis hominibus egenis ex naturæ lege succurrere teneatur; & multò magis propter rationem majoris boni toti alicui Reip. si potest, quam particulari alicui homini id præstare obstrictus est; modo id absque præjudicio & damno Reip. illius, cujus is civis & pars est, fieri possit; hujus enim bonum promovendum proximius eum spectat quam alienarum Rerump. Perez, *ad Cod. ut nem. lic. in empt. spec.n.*1. Idem quoque juris arbitror respectu totius alicujus viciniæ & integræ Reip. extraneæ, tùm ratione potestatis justè exercendæ, quam neutra in alteram habet. arg. *l.*4.*π. de recept. arbit. l.*13.§.4.*π. ad SCt. Trebell.* tùm ratione obligationis, qua naturaliter Respublica αὐτάρκης Reip. indigenti, ceu homo homini particulari, ad communem totius generis humani tranquillitatem & felicitatem obtinendam, succurrere tenetur, confer quæ supra §.XI. disseruimus. Eximia hic sunt verba Cicer. *lib.*3.*offic.*§.28. *Qui autem Civium rationem dicunt esse habendam, exterorum negant; hi dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur.* conf. Dn.Ziegler. *in Grot. proleg.p.*14. *verb. nulla est tam valida &c.* Intelligendi autem h.l. extranei sunt tantum illi, qui neque quoad personas neque quoad res suas indigentem Remp. attingunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0021
DFG

Paulò aliter enim philoſophandum de iis, qui Reip. alicujus ſubditi & cives aliquo reſpectu dici poſſunt. De quibus ſuo loco.

Affirm. de Iure Gent. Voluntario.

§. 22. Non obſtante tamen hac juris Nat. prohibitone, qua nemo alteri invito, in quem nullum jus vel imperium habet, res ſuas etiam in extremo neceſſitatis caſu auferre poteſt; præſertim ſi inſuper ipſe, à quo res aufertur, vel ob præſentem vel certò tamen futuram indigentiam eadem re opus habeat; negatur enim hic Jus N. quod Grotius docet *de I. B & P. lib.* II, 2, 6. & 10. *lib.* III, 12, 1. Jus Gentium nihilominns permittit & licitum facit, ut ſumma neceſſitate, extra quam nihil concedit, preſſus, alteri invito res auferre; alterius fundum, agros, villas & arces devaſtare, atque ad mutuum extraneos quoque compellere, ſicque ſuæ ſaluti, ſuæque conſervationi per deſtructionem bonorum alterius, in quem aliàs nihil juris competit, conſulere poſſit; modo, uti dictum, ſumma urgeat neceſſitas, & (2.) ſub ratione majoris boni id aliquo modo defendi poſſit. conf. Excell. Dn. Albert. *d. lib. p. II. c.* 18. §. 15. Ita Byſantii olim propter annonæ charitatem & pecuniæ inopiam deduxerunt navigia ex Ponto in portum; cum verò mercatores id iniquè ferrent, uſuras eis perſolverunt decimas. *Ariſt.* 2. *Oeconom.* Atque ſic Principes de bonis, in ipſorum portibus deprehenſis, mutuò ſumere aſſolere, idque Hiſpanum factitaſſe, teſtatur Cambdenus in hiſtor. *Eliſab. reg. Angl. part.* I. *ſub fin. ann.* 1568. quò ſpectat penſitatio oreſundica, Easſtgeld. de qua id Cambd. *part.* 3. *ann.* 1582. Quò tamen non cenſeo eſſe referendum factum Eliſabethæ Angliæ Reginæ, quæ, memoriæ prodente eod. Cambd. *part.* I. *ſub fin. ann.* 1568. magnam vim pecuniæ mercatorum Genuenſium aliorumque Italorum ex Hiſpania in portus Anglicos perſequente Turio Caſtelerio Gallo, & Guilielmo Wintero Anglò defendente, delatam, ſtatuit, fiduciaria cautione interpoſita, à à mercatoribus mutuo ſumere: Nam ipſi hujus pecuniæ proprietarii, metuentes ne Albanus Dux in eam involaret, ut ea in tuto eſſet, lubentes Reginæ Angliæ eam mutuo conceſſerant; ceu de hoc fidem facit Cambd. d. l.

§. 23. Cum igitur hoc Jus Gentium ad miſerandam potius hominum conditionem, quam ad aliquam impeccabilitatem referendum ſit, atque ejusmodi factum à Jure Nat. non approbe-

tur,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0022
DFG

tur, sed toleretur tantum; non potest non idem Jus N. perpetuò efflagitare, ut commissa hæc inæqualitas, quàm primum possibile sit, corrigatur, ablatumque mutui nomine restituatur, aut alio possibili modo compensetur. Quod & à Jure Gentium in ejusmodi facto, hoc jure licito, requiri, haud obscurum esse potest ex iis, quæ habet Grot. *de I. B & P.* II, 2, 9 & 10. Dn. Albert. *d. l.* §. 17. Adde his, quæ Principibus digna hic monet Excell. Dn. Bœcl. *ad Grot. I. p.* 119.

§. 24. Causam efficientem proximam Mutui P. dicimus consensum ac voluntatem Accipientis Dantisve, unde per contractum illud in genere supra θ. 5. meritò finivimus per *l.* 32. π. *de Reb. Cred.* Sed fallor an hoc de Mutuo Imperato, sive spontaneo sive invito, tùm de Non-imperato invito, asseri possit? cum penè omnem consensum, in pactis & contractibus requisitum, in his deficere appareat; ut proinde graviter justitiæ hujus mutui obstare videatur §. *ult. Inst. de his qui sui vel al. l.* 5. *C. de Obl. & A. d. l.* 32. *l.* 16. *C. de Jur. delib. l.* 11. *C. de Contr. Empt.* nec non in *l. dudum* 14. *C. eod.* expressè dicitur, *gravem esse injuriam, quando homines invitis de rebus suis aliquid facere coguntur*, add. Grot. *de I. B & P.* II, 12, 10. *seqq.* Neque ipsum hoc, quod defectum consensus utrinque interpositi respicit, de Imperato & non-Imperato merè coacto seu compulso inficias ire possumus, cum nil nisi violenta ablatio sint; num verò eadem hæc ablatio ubique injusta sit dicenda? alia quæstio est, quam in præcedentibus θθ. jam discussimus, & subsequentes pluribus explanabunt. Propterea igitur, quod in his Mutuis vix aliquis consensus deprehendatur, non nisi æquivocè & ἀναλόγως nomen Mutui & Contractus mereri possunt; nisi quis contractum tàm latè accipiat, ut notet quodcunque obligandi factum, arg. *l.* 3. §. 1. π. *de pecul. l.* 52. π. *de R. Jud. l.* 7. §. 2. *de Adm. & pric. tut. l.* 16. §. 1. π. *de his quæ ut ind. auf.* atque hoc nominis habebit tantùm ratione personæ publicæ auferentis, cujus & factum eo magis vero Mutui contractui affine erit, si ipse nomine & jure Mutui syncera mente obstrictus esse velit; tandem etiam merè compulsum Mutuum tùm verum dixeris contractum, quando ex postfacto (quod infrequens non est) contingit, ut is, cui invito res mutui nomine extorta est, in id, ad quod auferens se obligavit, consentiat; intelligens nim. id à se,

Causa Mutui P. efficiens proxima.

se, ceu subdito justè exigi; aut videns impossibile esse, se aliâ, quam qua auferens voluit, viâ suum esse recuperaturum. Ut adeo ex postfacto duorum consensum concurrere, mutuique contractum constitui, nihil absurdi sit *per l.8.π.de R.Cred.* Sic rei, à pupillo absque Tutoris autoritate mutuo datæ, consumptione demum mutuum contrahitur *l.19.§.1.π.de Reb.Cr.* conf. C.I.A. *ad π. de Reb. Cr.ϑ.8. & 35.* & additionator. *ad ϑ.17.d.tit.*

§. 25. Quod verò Imperatum tùm spontaneum tùm mixtè invitum, ut & Non-imperatum mixtè invitum (nam de Non-imperato spontaneo nullum est dubium) attinet; dictis textt. non obstantibus tutò asserimus, in his consensum utriusque, accipientis sc. dantisve, intervenire, illoque, ceu causâ proxima, veras contractus constitui species, etsi in Spontaneo plena, in mixtè Invitis verò minus plena adsit voluntas. Neque enim imperium superioris justum, quale omne esse debet, libertati naturali, cujus objectum est id, quod honestum, aut non iniquum, quodque naturæ agentis conveniens est, adversari credimus, quominus civis bonus quique amore ac studio in Remp. ex φιλανθρωπία ordinata ducitur, sponte ac liberrimè in Mutuum, sibi cum Rep. contrahendum, quod Superior præcipit ac jubet, consentire possit. Quo spectat etiam Rubrica Cod. *de his qui sponte publ. mun. subeunt.* Neque in Mixte invitis omnem consensum abesse dici potest, cum certum sit, ejusmodi actiones mixtas spontaneis potius quam invitis à Philosophis accenseri, conf. Excell. Thomas. *in Tabb. practic tab. XI. n.45.* Unde, qui ex metu promittit, similiter quoque, etsi coactè, consentire dicitur in *l.21.§ pen. π. Quod met. causa.* conf. Grot. *de I.B & P. II,11,7.* quare nec inter privatos contractus isti ipso jure nulli sunt, sed opus habent rescissione.

Causa Impellens. §. 26. Causa προκαταρκτικὴ Mutui publici est Necessitas & utilitas publica, quam tamen negamus, cuique jus vel potestatem agendi vel faciendi aliquid tribuere, nisi illam aliunde habeat. Horn. *de Civit. lib.2.c.4.§.4.* Sed quia jus & potestas imperantibus pro publico aliquid agendi aliunde (ut superius ostendimus) competit; ideò eam demum pro adjunctis loci ac temporis, unde necessitatis & utilitatis publicæ ratio dependet, in actum rectè deducere possunt; falsum enim dicimus, illicitum necessitate, quantumvis

tumvis extrema, fieri licitum; secundum ea, quæ proximè examinavimus. Quousque verò & quomodo honesti jacturam tempore necessitatis facere queamus, docet Dn. D. Albert. p. II. c. 6. § 24. *seqq.*

§. 27. Arbitramur autem omni necessitate & utilitate publica justè Imperantes ad mutuum sumendum & imperandum impelli posse; suis tamen distinctis gradibus, quibus una necessitas & utilitas ab altera diversa est; ita, ut bonus Princeps ac Civis in mutuo imperando & præstando magis ad hanc quam aliam, & ad leviorem post graviorem necessitatem propellendam, utilitatemque promovendam commoveri debeat, sitque obstrictus. Agnoscimus verò cum Excell. Dn. D. Bœcler. in ejus *Comm. ad Grot. lib. I. de I. B & P. p.* 137. & ad ejusd. *lib. II. p.* 65. tres Necessitatis ac utilitatis gradus; quorum *primum* honestatem, *secundum* Incolumitatem, *tertium* Commoditatem Reip. dicimus. Aut si mavis cum Moralistis ex Bonacina, *Moral. Theolog. Tom. II. tract. I. disp. 3. p.* 162. & *tract. 2. p.* 90. pro triplici diversitate mali habitus ac status, quem Resp. patitur, aliam constituere ac dicere *Extremam* seu *Quasi Extremam*, quæ excidium Reip. aut indubiè aut probabiliter minatur: aliam *Gravem*, quæ graviter Remp affligit, iis scil. deficientibus, quæ ad incolumitatem statumque Reip. firmandum, ejusve dignam conditionem necessaria sunt; quo referenda Principis indigentia, & magna aliqua utilitas &c. aliam denique *Communem*, quæ communiter omnes Resp. affligere solet, dum non omnis fert omnia tellus. Hanc, quæ alias *Utilitatis* καὶ ἐξοχὴν atq; apud Cicer. 2. *de Invent.* 41. *p. m.* 150. Commoditatis nomine venit, lubet in duos adhuc distinguere gradus; ut *alia* comprehendat ea, quæ ad necessitates prædictas propius accedunt, quæq; incolumitatem Reip. firmantia augent atq; firmiora reddunt, quam & veræ Utilitatis nomine ac definitione comendamus, atq; hoc nomine veniunt plurima quæ in ll. nostris, Reipublicæ interesse, dicuntur; *alia* verò ea, quæ ab utilitatis ratione remotiora sunt, quæque non nisi remotæ & consequenter utilitatem publicam attingunt; ceu utriusque hujus utilitatis exempla congessit Excell. Dn. Bœcl. *in Diss. Acad. VII. de Potentia Civit.*

Esse potest omnis necessitas & utilitas publica

Sed distinctis gradibus.

Necessitas triplex.

Utilitas duplex.

§. 28. Itaque dubio omni carere puto, posse superiorem, statu Reip. summa & gravi necessitate afflicto, justè induci, ut

mutuum tùm communi jure contrahat, tùm subditis imperet tùm etiam ad id exteros compellat; sed hoc non aliter, quam extrema urgente necessitate & secundum ea, quæ supra exposuimus. Nec ambigimus, posse etiam Superiorem ob utilitatem publicam, in specie sic dictam, & ob ea procuranda, in quibus justa civitatis αὐτάρκεια & potentia consistit, reliquis, ad incolumitatem requisitis, jam obtentis, non tantùm mutuum cum subditis & exteris ordinario modo inire; quo fine id tentarunt Franciscus I. Rex Galliæ, & ejus Filius Henricus, nec non Henricus IIX. Rex Angliæ; Henricus quidem Rex Galliæ satis imprudenter, teste Bodin. *lib. 6. de Rep. c. 2. n. 666*; Verum etiam idem illud subditis suis licitè ac justè imperare; cum primis, si cives eo felicitatis ac abundantiæ statu fruantur, ut ejusmodi utilitati publicę commodè subsidio venire possint; Et hoc eo magis, si utilitatis occasio, quæ præsens est, post breve tempus, intra quod ex ordinariis aut aliunde summa requisita comparari nequit, sit calva futura & expiratura. Quo casu tamen illos potissimum compelli ad mutuum æquum est, in quos utilitas, liberrimè electa, præ reliquis sit redundatura. Cæterùm si non omnia ubique benè ad Reip. tranquillitatem conspirare videntur, consultius erit, ut communi potius more de mutuo cum subditis, quàm imperiosè tractetur; sicut ubique ita se gerere Magistratum decet & juvat, *ut persuasisse potius quam imperasse civibus videatur*, Excell. Dn. Bœcl. *in Comm. ad Grot. lib. 1. p. 121.* quæ omnia pius prudensque magistratus optimè dijudicabit. Ob ea verò, quæ in altero utilitatis gradu consistunt, neque ditioribus neque tenuioribus quicquam ex mutuo conferendum, imperari posse æquum videtur; quia hæc à voluptuariorum sumptuum natura parùm discrepant; & divites potius ob hæc ad liberalitatem in Remp. exercendam persuadendi quàm urgendi sunt. conf. Perez. *in Cod. de Indict. n. 15.*

Quid consilij circa mutuũ P.?

§. 29. Consilii denique illud est & tantum non juris necessarii, quodque in summa de Mutuo P. tenendum, cum sit omnium Dd. & Politicorum calculo, nec non illustribus ubique ferè exemplis approbatum & verificatum, ut Respublica haud facile simplici aliquo Necessitatis ac Utilitatis publicæ intuitu ad mutuo accipiendas pecunias induci se patiatur, nisi subitò ac festinanter

nanter auxilio & pecunia Reip. opus sit, nec alia supersint remedia, quibus summa necessaria absque ære alieno expeditè satis haberi queat. Respublica enim inconsideratè ære alieno impedita, facile in alia & graviora damna labi potest, cumprimis si absque usuris creditum haberi nequeat, aut nesciatur, unde sors aliquando commodè, ne dicam cum usuris ac fœnore, restituenda sit.

§. 30. Nunquam verò ob iniquas causas profusionesque prætextu Mutui cives sunt expilandi, aut quicquam ab exteris extorquendum est. vid. Bornit. *de Ær. lib.* 8. *c.* 3. Admonendum hic omnino illud, quod habet Excell. Dn. Bœcler. *ad Grot. lib. I. p.* 137. ne quis specie necessitatis & utilitatis fallat, dum vocibus his obscurè, ambiguè & licenter uti, multis inter artes est. add. Eund. *d. l. p.* 119. Quare exulet hic & ubique à Rebusp. omnis improbus fucus, qui haud rarò sub obtensa ratione status aut belli, *la raison de guerre*, absconditur, atque sub hac ceu specie juris, avari Magistratus aliique potentia prævalentes subditorum aliorumque bonis inhiant. Neque tamen illud inficiandum est, posse summam potestatem & ejus nomine alios hoc illove purpurisso publicam colorare necessitatem & egestatem, compositisque modis, sed licitis, indirectè bonum ac honestum publicum promovere, ad quod directa via haud commodè tendere licet & consultum est, conf. Grot. *de I. B & P. III*, 1, 6. *seqq.* Lipsii verò prudentiam mixtam, quam habet *lib.* 4. *Pol. c.* 13. & 14. correxeris ex iis, quæ egregiè pro hac materia discussit Excell. Dn. Albert. *in disput. de Simulatione & Dissim. habita Lips. anno* 1675. Prudentiæ igitur & necessitatis ratio sæpe exigit, ut colores mutuo tùm subditis imperando, tùm ab exteris solicitando & habendo quærantur; cum non semper expediat, Principem negotii causam manifestare; quin & eâ quidem exposita, à neutris facile subsidium vel publicæ vel suæ salutis obtinuisse, sæpè compertum est. Subditorum sunè animi, sicut in aliis oneribus ita & in mutuo, quod de eorum quoque natura participat, sophismate politico sæpe sunt flectendi, quibus maximam partem in visum, quidquid illis in publicum conferendum; & communiter de Mutuo Reip. & Imperantibus præstando, malè suspicantur ex illo Syracid. *c.* IIX, 15. Leyhe nicht einem Gewaltigern denn du bist/ leyhestu aber/ so achte es als verlohren. Quod, etsi ab

ob iniquas causas mutuum imperare non licet.

licet necessitatem publicam colorare.

iniquis magistratibus verificetur, ad debita tamen civilia detrectanda, extendi minimè debet.

Ad evitandos motus quæsita specie & arte mutuum conquirendum est.

§. 31. Igitur ut motus in Rep. evitentur, sicque promptè pecunia & aliæ res à subditis æquè ac exteris mutuò obtineantur, prudentia civilis hic quoque ad varios colores & cautelas attenta esse solet. Ita subornari quosdam sæpe expedit, qui hanc vel istam pecuniæ summam pendere promittant, quo opulentiores potissimum partim pudore, partim metu ad easdem aut majores summas pollicitandum & mutuò dandum invitentur; quod olim in tributorum causa Mausolus exercuit, teste *Arist. 2. Oecon.* Ita Leucon mutui acceptionem, specie quæsita, à civibus mercatoribus obtinuit, insidiasque sic conjuratorum feliciter evasit. Polyæn. *lib. 6. stratag. fol. m. 131.* Quo item stratagemate Cotys Thrax à Perinthiis mutuam pecuniam, ab ipsis antea denegatam, expiscatus

modus arcanus mutuum sumendi.

fuerit, videri potest apud Arist. *d. l.* Alium etiam elegantem & arcanum modum, ne in mutuo sumendo Princeps suas vires singulis patefacere & autoritatem prostituere opus habeat, proponit Bornit. *lib. 7. de Ær. c. 1.* ut videlicet per tertium, puta, civitatem opulentam aut autoritate eminentem, apud exteros vel incolas pecuniam procuret, quam suo, non Principis, nomine mutuam accipiat, pignore vel fidejussoribus datis. Exempla hujusmodi Lipsiæ, Halæ-Saxonum & passim esse obvia, testatur Klok. *de Ær. lib. II. c. 23.* Accedit etiam, inquit idem Bornit. *d. l.* quod ejusmodi civitates primariæ aliis eò facilius ad mutuum persuadere possint, exemplo suo præeuntes. Idcirco opus est, ut principes civitatum primorum amorem & obsequium sibi concilient, quorum ope & consilio tempore necessitatis tutò & feliciter utantur. Ita ingeniosa simulachra alia pro subditorum & exterorum ingenio, loci ac temporis circumstantia, prudens hominis ratio facile finget; modo, uti dictum, non sint magis ad fraudem quam necessitatis causam & utilitatem publicam promovendam comparata & excogitata, justitiamque & honestatem lædant; quales ut plurimum

Exemplis Superiorum subditos ad Mutuum dandum facile invitari.

fuerunt Dionysii aliorumque Tyrannorum strophæ & technæ ab eod. Arist. *d. l.* memoratæ.

§. 32. Optima tamen subditos ad sponte & promptè publico succurrendum impellendi & invitandi ratio erit; si imperantes

rantes suo exemplo primum tales se subditis exhibeant, quales eos pro Reip. salute exoptant; id quod communiter aliàs Dd. & Politici exemplo Impp. Nervæ, ex Dion. *in vit. ejus.* Taciti, ex Vopisc. *in vit. ejus.* & Theodosii & Valentiniani, ex *l. 5. C. de privil. dom. August.* docere solent. Egregiè hæc in ipso hoc Mutui argumento explicuit Lævinus Roman. Consul apud Livium *lib. XXVI. c. 36. Sicut Magistratus*, inquiens, *& senatus populo honore præstat ita ad omnia quæ dura atq; aspera essent subeunda, ducem debere esse; si quid injungere inferiori velis, id prius in te ac tuos, si ipse juris statueris, facilius omnes obedientes habeas -- ut voluntaria collatio & certamen adjuvandæ Reip. excitet ad æmulandum animos.* In quæ etiam, quatiente tùm Hannibale Italiam, à Senatu tanto animo consensum est, *ut*, pergit Livius *d. l. gratiæ ultrò consulibus agerentur: Senatu inde misso, pro se quisq; aurum, argentum & res in publicum conferunt: tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse: ut nec triumviri accipiendo, nec scribæ referendo sufficerent. Hunc consensum senatûs equester ordo est secutus, equestris ordinis plebs: ita sine edicto, sine cohortatione magistratus, nec remige in supplementum, nec stipendio Respubl. equit.* Gemina his leguntur in historia Veneta de Magistratibus Reip. Venet. apud Bemb. *lib. 6. p. m. 307. lib. 7. p. m. 307. & p. 310. lib. 12. p. m. 516.* & passim apud alios.

Modi ad mutuandum alliciendi animos.

§. 33. Denique ob brevitatis studium indicasse saltem sufficiat, quibus modis communiter homines ad mutuandum Reip. allici soleant, quos passim in historicorum monumentis, Politicorum item & Dd. scriptis legere est. Ita tàm subditi quàm exteri ad mutuum dandum invitantur (1.) Spe lucri illecebrisque usurarum vid. Bodin. *lib. 6. de Rep. c. 2. n. 666.* (2.) Oppignorationibus. conf. Boter. *in polit illustr. lib. 8. c. 9.* (3.) Privilegiorum concessione, quorum non exigua oppignorationi & promissioni usurarum Pontifices in Montibus suis adjunxerunt, de quorum justitia & injustitia vid. Tholos. *de Rep. lib. XIII. c. 16. n. 11. seqq.* Dn. Elychn. Gottlieb. *de mont. Piet. Rom. lib. 2. c. 3. 4 seqq.* (4.) Honorum & immunitatum distributione, exemplo Ephesiorum apud Arist. *2. Oecon.* Itaque plebeji divites ac mercatores præ cæteris in senatum legi vel aliis officiis præponi solent, ut sint qui tempore necessitatis eo promptius publico succurrant; quorum exemplorum plenæ

sunt historiæ. De Rep. Veneta, quid illa factitare soleat, vid. apud Bemb. *lib. X. p. m.* 411. & *lib. 6. p. m.* 237. & passim adde Bodin. *lib. 6. de Rep. c. 4. p. m.* 1105. & Tholos. *de Rep. lib. III. c. 6. n.* 8. Atque habet Resp. Veneta in optimo more positum, ut studia quæcunque in Remp. atque benè meritos remuneretur, jacturamque iis, qui eam pro Rep. perpessi sunt, resarciat, quod ex Bembo *lib. V. H. Venet. p. m.* 205. *seqq.* & *lib. IX. p.* 369. & passim videre est. Ut adeò mirum non sit, eam tam promptè auxilia in necessitatibus ab exteris pariter ac civibus suis, maxime tamen ab his consequi posse.

Subjectum Mutui P. duplex. aliud Activum seu Accipens, quod est persona Majestate gaudens vel integrâ. vel hic requisitis juribus.

§. 34. Subjectum constituunt personæ, quæ Mutuum P. dare & accipere possunt; *Accipiens* tamen hic potius est, quodque *agens* appellamus, & unde mutuum vocari publicum partim obtinuit. Est illud summa Civitatis Potestas, quæ tamen magis concretivè in personis consideranda. Quare, sive Mutuum ab Extraneis sive à subditis accipiendum, aut his imperandum est, talem hic requirimus personam, quæ (1.) actu & contractu suo non tàm se, quam universam civitatem, etiam absque civium consensu interveniente, validè ad mutuum, vel cum vel sine usuris reddendum, obligare potest; sive etiam solutio ex bonis publicis sive ex singulorum civium collatione sit facienda. Grot. *de I. B. & P. II*, 14, 11. *III*, 20, 6. & *III*, 2. *per tot.* non obstante, quod ex facto alieno nemo obligetur. §. 3. & 18. *Inst. de Inut. stip. l.* 38. §. 17. *π. de V. O. l.* 1. & 3. *C. Ne ux. pro Mar.* quod tamen ipsum nec in jure nostro civili perpetuum. Quæ (2.) jus & potestatem bona publica & partem Imperii oppignorandi habet; quia ut Mutuum habeatur aut promptè haberi queat, oppignorationes in securitatem crediti sunt faciendæ. §. *ult. Inst. Quib. mod. re contr. O.* §. 7. *Inst. de Act.* & harum necessitatem, imprimis in causa publica, quotidiana exempla probant. Ita de Carolo IIX. Galliæ Rege, Neapolitanam expeditionem suscipiente, testatur Commin, *dans les Croniques abbreg. dudit Roy, chap. 8. qu' à Turin le Roy emprunta les bagues de Madame de Savoye & les meist en gage pour douze mille ducats; & la Marquise de Montferrat luy presta aussy ses bagues, qui aussy furent engagees pour douze mille ducats.* Unde non immeritò Boterus pignorum suppositiones inter modos dilatandi imperia à parte Creditorum refert. *lib. 8. de Polit. Illustr. c. 9.* cum ejusmodi creditum cum eo, quod inter

inter est, haud facile solvi, pignoraque relui soleant. Exempla ipse ibi refert, & alia passim obvia sunt. Quæ (3) potestate pollet subditis etiam invitis jus quæsitum & bona auferendi, eo scil. casu, quo licite id fieri potest; de quo in superioribus. Et hoc jus requirimus propter oppignorationes, exteris aut cuivis alii pro Mutuo constituendas, quando nec Regis, Principis, Comitis &c. bonis, nec Reip. patrimonialibus supperentibus, in bona subditorum est involandum. Quæ (4.) jure vectigalia & tributa tàm ordinaria quam extraordinaria subditis imponendi gaudet. Et hoc non tantùm ratione causæ Mutui imperati efficientis & formalis, quatenus Mutum ceu species oneris aut tributi extraordinarii venit imperandum; sed & ratione effectus, quatenus illud jam acceptum ex collatone civium restituendum, pignusque oppositum reluendum. add. Grot. II, 6, 13.

§. 35. Hæc igitur cum sint Summæ potestatis seu Majestatis partes formaliter tales, nemo justum & adæquatum Mutui P. subjectum Activum esse potest, quiscil. vel planè summam potestatem; vel has ejus saltem potestates particulares atque solus non habet; aut qui ab his, quibus hæc jura formaliter competunt, neque concessum neque mandatum accepit ut hæc exerceat jura, aut ut in specie Mutuum nomine publico contrahat & imperet. Unde ultro fluit (1.) Subjecti hujus Divisio. (2.) quæ personæ ab hoc vel removendæ vel non removendæ sint.

§. 36. Subjectum hoc aliud est *summum* seu *Independens*, aliud *Dependens*. Utrumque *vel* Adæquatum *vel* Inadæquatum esse potest. *Independens & adæquatum* in Regno est Rex; in Aristocratia Optimates; in Rep. populari populus; in statu mixto sunt hæ vel istæ personæ pro mixtionis formula; qualis etiam status mixtus est Imperium nostrum Rom-Germanicum; proinde subjectum hoc adæquatum Mutui publ. in eo est Imperator una cum ordinibus Imperii, nullus verò ex illis solus, qui sic tamen sunt subj. inadæquatum. Nam quamvis veram totius Imperii Majestatem in ipso Imperatore nostro venemur; eam tamen non solus ubique, sed in multis cum statibus ac ordinibus communicatam habet; in iis nempe negotiis omnibus, quæ ad comitia Imperii spectant. Carpz. *ad L. Reg. c. 13. sect. 6, n. 20. & 24. seqq. & sect. 8. n. 20.*

Subject. Accipiens aliud Summum, aliud Dependens est.

Summum est vel adæquatū vel inadæquatum;

Hoc in Imperio est Imperator solus, illud Imperator cum ordinibus.

*n.*20.*seqq.* Quo utique etiam referendum Mutuum, nomine totius imperii accipiendum, aut eidem imperandum, quod & cuique, præmissa requisita perlustranti atque cum juribus imperii conferenti facile constabit. Ita (1.) Imperator solus suo actu & contractu universum imperium non obligat, quia absque statuum suffragiis nec leges universales condendi nec pacem ac fœdera pangendi potestatem solus habet. *Instr. pac. Cæsar. Suec. art.*8. § 2. *Capit. Leopold. art.*2. *&*10. Ergo nec Mutuum, quo obligetur universum imperium vel inire vel imperare solus poterit. Idem (2.) de jure oppignorandi res & bona imperii docetur ex *Capit. Ferdin. IV. art.*9. atque ex argumento alienationis, non soli Imperatoris competentis, *Instr. Pac. Cæs-Suec. art.*10. *& Cæs-Gall.* §. 69 *seqq. per l. ult. C. de Reb. alien. non alien. fac. l.*1. *π. de pign. Act. l.*17. §. 2. *π. de pact. l.*1. *l.*18 *π. de pign.* Grot. *de I. B & P. II.*6,9. conf. Limn. *in ſ. Publ. in* Addit. ad *lib.*1. *c.*12. *Tom. IV. ad Capit. Ferdin. IV. p.*245. Excell. Dn. Bœcl. *in Notit. Imp. lib.*18. *c.*1. §. 2. *& in not. ad Grot. lib.*1. *p.*116 *seqq.* Non obstat quod Imperator solus feuda dare possit. Idem (3.) de potestate Imperii civibus etiam *invitis* jus quæsitum & bona auferendi ex modo dictis atque ex iis constare potest, quæ Excell. Dn. Bœcl. de Dominii Eminentis usu in Imperio exercendo disputat in *Notit. imper. d. l.* & *alibi.* Idem (4.) de jure vectigalia & tributa imperandi certum est *ex Instr. Pac. art.*8. *Capitul. Leop. art.*19. die Königliche Satzung zu Wormbs *d. A.*1495. *tit.* vom gemeinen Pfenning. Ordnung des Regiments *de A.*1500 *rubr.* der Türcken halber. *ibi:* haben wir uns vereinigt/vertragen und verglichen. Autor der Grundfest. *p.*3. *c.*17 *&* 8. conf. Dn. Bœcl. *in Notit Imp. lib.*17. *c.*2. add. Ejusd. *Inst. polit. lib.*3. *c.*8. Quid quod in d. Recess. der Königlichen Satzung. *rubr.* das Volck um mehrer Handreichung &c. ipsum Mutui Publici, communi statuum consensu impositi, exemplum habeatur.

Ab indep. Subj removeri nequeunt.

§. 37. Ab independenti autem subjecto removeri nequeunt

1. *Pontifex Rom.*

(1.) Pontifex Romanus, postquam sedi Apostolicæ hoc secularis potestatis regale ac principale fastigium Pontificum artibus est acquisitum. Grot. *de Imp. S. P. circa sacr.* Carpz. *ad L. Reg. c.*13. *sect.*4. *n.*17. *seqq.* add. Lampad. *de Rep. Rom. Germ p. II.* § 11. *& part. III. c.*21.

2. *Alterius*

§.15. (2.) Principes & populi, qui in æquali saltem fœdere tenentur,

tur, alienamque Majestatem comiter conservant, ut loquitur Proculus *in l.7. §.1. π. de Capt. & postl.* cum per hoc suam Majestatem non amittant. vid. Gotofr. *in Not. ad d.l.* Grot. *de I.B & P. I,3,21.* Carpz *d.l.sect.3.n.2.seqq.* Nec (3.) Resp. Veneta hic removeri potest, quæ toties subsidio Mutui P. uti solet; cujus independentiam, Majestatem ac libertatem ex transactione Caroli Magni cum Irene Imperatrice orientali deductam legas apud Sigon. *in Histor. Ital. lib.4.* add. Bodin. de Rep. *lib.2.c.1.n.180.* Nec (4.) Status Imperii nostri in suis minoribus Rebuspublicis jure excludi possunt. Quæcunque enim jura Majestatis Statibus in Imperio sunt communicata, respectu illorum superiores in suis territoriis sunt, nec eorum causa superiorem alium recognoscere tenentur, quod ostendit Lampad. *de Rep. Rom. Germ. p.III. c.14. §.21,22,23.seqq.* Jam de his juribus, quæ modo ad Mutuum P. requisivimus, participant formaliter Status cum Imperatore, quod probatum satis jam dedimus. Ergò Status in suis ditionibus ac territoriis jure majestatico, proprio ac independenti Mutuum P. ad salutem suarum Rerumpublicarum conservandam & promovendam sumere ac subditis suis imperare possunt; Sed non aliter, quàm pro suæ Reip. forma, prout leges fundamentales in his quoque vel Regni speciem, vel Aristocratiam, vel Statum popularem aut mixtum formarunt; ita ut in his æquè ac in Majoribus Rebusp. subjectum inadæquatum, sed independens, constituant personæ, quibus pro Reip. forma non solis, sed indivisim ac conjunctim cum aliis vel universæ Majestatis partes, vel memoratæ tantum hic requisitæ, competunt, ceu id ex exemplo, quod de Rep. mixta Imperii nostri modo dedimus, planum esse potest, ita ut brevitatis studio ad unam vel alteram particularem Remp. descendendi labore metitò hic supersedeamus.

Majestatē comiter conservans

3. *Resp. Veneta.*

4. *Status Imper. nostri.*

qui Mutuū pro suæ Reip. minoris forma imperant.

§. 38. Econtra ab hoc independenti Subjecto removentur in genere omnes Magistratus & Administratores Civitatum, & in specie illi, qui in Rom-Veteri Rep. Civitatibus ac municipiis præerant. De quorum Mutuo, quod propterea privatū aut abusivè publicum habendum *per l.15.16. & 17. π. de V.S.* quodque merè juris privati gignit effectus, tradunt Dd. comuniter *ad l. Civitas 27. π. de Reb. Cr. & Il. parall.* confer Matth. Coler, *in proceß. Execut.*

qui removendi à Subj. indep.

p. II. c. 3. n. 36. & 367. Hi enim quidquid potestatis in cives exercent, id vel jure Magistratus, suis incluso limitibus; vel speciali superioris concessione, vel ex consensu ipsorum civium, eoque vel expresso vel tacito, tantùm facere possunt. add. Perez. *in Cod. de Ind. n. 10. seqq.*

Subj. Mutui P. dependent. 1. qui Regis vel alio dignitat. titulo de regaliis investiti sunt.

§. 39. Quod ad dependens subjectum; illud variæ personæ, sed diversimodè, constituunt. Sic (1.) quæ Regis vel alio dignitatis titulo de Regaliis, seu (ut alii Rubricam 2. *Feud.* 56. legunt) de Regalibus omnibus, majoribus pariter ac minoribus, à summa potestate sunt investiti. Hoc enim ipso competit illis jus in territorium & homines illius, de quo facta est investitura, exercendi omnia & singula jura, quæcunque vel ex ordinaria potestate, vel ex plenitudine ejus (ut Dd. loquuntur) summus Imperator ac Rex, à quo facta horum jurium concessio, pro illius territorii ac hominum communi salute agere, quæque emolumenta ex his juribus ad supremum suum decus & autoritatem, atque ad totius imperii utilitatem jure majestatis percipere potuit. Proinde extra dubium est, Vasallos hos etiam Mutuum P. pro territorii, civitatis aut regni feudalis necessitate & utilitate posse à quocunque sumere atque subditis suis imperare, idque jure quodam proprietatis ac feudali. Propterea tamen nil quicquam Majestatis, formaliter talis, illis competere est putandum; sed jura ista in ejusmodi Vasallis nihil aliud sunt, quam effectus majestatis formalis, penes eũ residentis, quem & suum superiorem ac Dominum suo modo recognoscere debent. vid. Arnis. *de J. Maj. lib. 1. c. 5. n. 18. & 20. add. n. 8.* Struv. *in Synt. J. Feud. c. 6. aph. 13.* Nisi ejusmodi Vasalli in consortium ipsius Majestatis fuerint adsciti, ceu res de Ordinib⁹ Imperii expedita est.

2. qui territoriali superioritate dotati sunt in Imp.

§. 40. Ad illos (2.) referendi sunt, qui in Imperio nostro dicuntur dotati territoriali superioritate, mit der Lands- und Fürstlichen Obrigkeit / de qua formula vid. Wehn. *in Obser. pract. sub* Landsfürstl. Obrigkeit. sive laici sint sive ecclesiastici. Licet autem hæc formula non omnium Regalium concessionem comprehendat *R. I. de A.* 1576. §. 117. dadurch dann ꝛc. neque probet aliquem esse ex Imperii Statibus, quod alia indiget probatione, vid. Gail. 1. *Obs.* 21. *n.* 2. conf. Dn. Bœcl. *in Not. Imp. lib.* 5. *c.* 1. Interim tamen, quia his competit hoc superioritatis jure omnimoda jurisdictio, merum

merum ac mixtum imperium & exinde jus, ut omnia pro communi salute in territorio suo gubernent; quod idem jure proprio & feudali habent; meritò etiam Mutui P. sumendi ac subditis suis imperandi capaces censendi sunt. Requiritur tamen ut id secundum morem receptum ac statutis introductum fiat, secundum quem & alii actus, qui universum territorium respiciunt ac obligant, tractari debent; si modo necessitas moram hæc ita gerendi admittat; alias quin & his usus Dominii eminentis extraordinarii eodem jure, quo territorialis competit superioritas, ut scil. ob urgentem extremè necessitatem à consueto jure recedere possint, sit concedendus, nullus ambigo. His, quæ hic de Vasallis asseruimus, non obstat, quod feudorum alienatio & oppignoratio ipsis sit prohibita *l. Feud.* 13. *ll. Feud.* 44. *ll. Feud* 9. & 55. in oppignoratione enim distinguimus pignus ab hypotheca in specie sic dicta; atque hanc Vasallo licere statuimus per ea, quæ habuit Dn. Ludvv. *in Synops. Feud. c.* 17 *p.* 358. (2.) sufficit ad nostram materiam, quod & feudorum alienatio & pignoratio ubique vel domino ipsi, vel extraneis cum consensu domini fieri possit, *per dd. textt.* add. Ludvv. *d. c. p.* 346. & 348. Struv. *in Syntag. J. Feud. c.* 12. *aph.* 9. (3.) possunt feuda concedi libere titulo sub infeudationis. *ll. Feud.* 3. §. 1. *ll. Feud.* 9. 34. §. 2. add. Ludvv. *d. Synops. c.* 15. *p.* 313. *seqq.* Struv. *d. l.*

§. 41. Ab hac autem subjecti habilitate excludimus meritò Vasallos istos, qui tantùm de minoribus regaliis sunt investiti; etsi etiam in territorio, ex quo emolumenta harum regaliarum percipiunt, aliquam jurisdictionem, jure Magistratus perpetuò competentem habeant; quoniam generali horum jurium concessione, statim quoque jus vectigalia & tributa imponendi, quod odiosum, comprehensum esse, minime est censendum; sed specialiter illud exprimendum est, Perez. *in Cod. de Ann. & Trib. n.* 8. Ita multo magis removendi sunt illi, qui nullis gaudent regaliis, utut titulo principis aut ducis &c. sint insigniti, quales sunt Principes, Duces ac Comites in Hispania, Gallia & Belgia; cum quibus adeò haud comparandi sunt Principes, Comites & plurimi nobiles Germaniæ, ut & in Italia Duces & Marchiones &c. teste Perez. *d. l. n.* 6. & 7. *qui à subj. Mut. P. habili sint removendi?*

§. 42. Denique (3.) ad dependens Mutui P. subjectum, quod & Instrumentale dici potest, spectant magistratus & omnes alii, quibus 3. *Magistratus &*

omnes alij, mandato & concessione superioris ad hoc muniti.

quibus supra requisita jura, aut in specie mutui acceptio & indictio, nomine publico ab iis facienda, à summa potestate specialiter fuerit mandata & delegata. Item ex præsumpta superioris voluntate potest Magistratus tùm quoque Mutuum hoc imponere, quando urgente extrema necessitate Principis oraculum nec consuli nec expectari potest; quo casu etiam alia onera à Magistratu civibus indici possunt. vid. Dn. Ziegl. *Exerc. 1. de Collect. §. 15.* Adde hic quæ de Dominio Eminenti potestates minores ac magistratus admonet Excell. Dn. Bœcl. *ad Grot. lib. 1. p. 112.*

Subjectum Dans mutui P.

§. 43. Huc usque de subjecto Accipiente. Subjectum Dans mutuum hoc loco passivo æquiparamus, quia qui à summa alicujus Civitatis potestate ad dandum vel amica compellatione solicitatur, vel imperio ejus obligatur, vel planè invitus dare cogitur, is utique ad eam passive se habet. Ipsum autem hoc pro variis mutui hujus speciebus itidem ultrò se dividit. Ita Subjectum dans

Vel non imperati sponte.

Mutui non-imperati Spontanei omnis homo esse potest, sive extraneus sive subditus respectu Accipientis sit, & quidem non attenta juris civilis prohibitione & limitatione; quia & Juris N. & Gentium Contractus, cujus ineundi facultatem habet quilibet, qui modo Dominus est & per naturam consentire potest *l. 32. π. de Reb. Cr.* C. I. A. *ad d. tit. §. 1. p. 715. & §. 9. & 10.* Nisi extraneus à superiore suæ Reip. specialiter prohibitus fuerit, ne cum aliena Rep. mutuum contrahat; quo tamen spreto, mutuum viribus suis non carebit, idque propter incompetens in accipientem imperium. Hic quæritur, si Princeps contra dispositionem suam civilem *in §. 2. Inst. quib. al. lic. vel non. l. 3. C. de in Integ. rest. min. l. 10. pr. π. de Cur. furios. & ll. parall.* cum pupillo minoreve, curatorem habente, aut prodigo absque Tutoris vel Curatoris autoritate & consensu contrahat mutuum, *num contractus sit firmus ac licitus?* Aff. quia Princeps & omnis summa potestas legibus suis positivis est soluta. *l. 31. π. de LL.* adeoque tùm, cùm ex causa publica aut alia singulari, justa tamen ac licita, contra dispositionem suam civilem ejusque solennitates contrahit, eas in se mutatas velle, personæque civiliter inhabili, quâ cum contrahit, specialiter habilitatem indulsisse, sicque interventu suo legis impedimentum sustulisse, Princeps censendus est arg. *l. omnium. 19. C. de Testam. c. 28. vers. salva. X.*

de

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0036
DFG

de Testib. l.26. C. de Don. int V & Ux. l.34. vers. exceptis. C. de Don. ibiq; Auth. Item & à privatis. add. Vasq. *lib.1. Contr. illust. c.3. n.5.*

§. 44. Subjectum Mutui non-imperati inviti seu coacti ut plurimum sunt exteri & forenses, de quibus jam in supradictis & amplius ex infra dicendis constabit. Subjectum verò Mutui imperati passivum sunt cujusque civitatis aut imperantis cives & subditi. Hic non admodum soliciti esse possumus de distinctione Civium in perfectos & imperfectos, quam exhibet Philosophus *V. Nicom.6.* Excell. Dn. Bœcl. *in Inst. Pol. l.c.6. p.70.* & Dn. Thomas. *in tabb. pract. XXXIX. memb.6. n.45.* & *tab. XXXVII. memb.2. & 6.* Sed ad justum hujus Mutui subjectum constituendum abundè causa subjectionis in una qualibet persona nobis sufficit; ex hac enim quilibet tàm quoad personam quàm quoad res suas ita connectitur cum imperante; ut habilis sit obligatusq; ad recipiendum omne superioris justum imperium *l.214. pr. π. de V.S. l.5. C. de Jur. Fisc. l.1. & 2. π. de LL.* illudque ratum gratumque humili obedientia habendum; sive quis eam ut civis perfectus vel imperfectus, præsertim si vel pater vel mater fam. sec. *l.195. §.2. π. de V.S.* vocari possit, in se agnoscat; sive eam ex incolatu aut alia ratione sibi contraxerit *l.7. C. de Incol. l.239. §.2. de V.S.* Sed hujus obligationis fundamenta, quatenus illa se ad superioris justum imperiũ habeat, jam supra declaravimus; quod amplius Dd. ex analogia, quam civem in ordine ad totam civitatem cum natura partis respectu sui totius habere dicunt, illustrant, conf. Faust. *in Consil. pro Ær. Class. XX. ord.1631.* Casp. Klok. *de Contrib. c.7. n.2. & 5.* Qua verò ratione Status imperii, qui sunt coimperantes, subditi dici, ac proinde mutuo imperato in imperio subjici possint, docet Dn. Carpz. *ad L. Reg. c.13. sect.6. n.39. seqq.*

Vel Non imper. inviti.

Vel imperati.

cujus fundamentum est causa subjectionis.

§. 45. Quoniam autem superioris imperium de mutuo præstando ipsa bona civis involvit, quæ nomine hujus contractus, ceu tributi cujusdam aut collectæ extraordinariæ, in Rempubl. conferenda sunt; ideò personæ subjectionem rerum quoque facultas necessariò concomitari debet, sine qua alias persona subjecta, sicut ad alia onera, ita quoque ad Mutuum conferendum insufficiens & jure inhabilis esset, atque ad id officii iniquè cogeretur, cum impossibilium nulla sit obligatio *l.185. π. de R. I. arg. l.22. ff. quando dies leg. ced. l.6. π. de Dol. mal.* ne-

quatenus eam concomitatur facultas bonorum.

que agens agat, nisi patiente benè disposito, regulaturque actus secundum naturam sui subjecti *arg. l. multum, 6. inf. C. si quis akt. vel sib. c. super. 27. X. de Offic. & potestate Jud. del.*

Subj. Mutui Imperati inhabile dupliciter, vel simpliciter & naturaliter.

§. 46. Cum igitur hæc facultas rerum dupliciter in cive abesse soleat, *vel* simpliciter *vel* respectivè; hinc subjectum oneris mutuæ pecuniæ *vel* simpliciter seu naturaliter, *vel* respectivè & civiliter inhabile erit ponendum. Subjectum simpliciter & naturaliter inhabile sunt *pauperes*, quibus propterea in oneribus realibus parcendum *l. 4. §. 2. de Mun. & hon. l. f. C. de his qui num. lib. vel paup. l. 6. §. 5. π. de Offic. Præs. Rec. Imp. de A. 1582. §. und nach dem 10. de A. 1594. §. und daß den Unterthanen 10. de A. 1598. §. und daß den den Unterthanen.* Quis autem pauper dicendus sit, & quomodo is ab inope & mendico differat, exponit Gail. *1. Obs. 142. n. 8.* Quis egenus? vid. Klok. *de contrib. c. 13. sect. 2. n. 75.* cujus tamen definitio merito judicis arbitrio relinquenda *arg. l. 1. §. fin. π. de Jur. delib.* Inter pauperes tamen promiscuè numerandi non sunt, qui operis manualibus victum quærunt. Zigler. *Exerc. I. de Collect. §. 22. & 23.* non obst. Carpz. *p. III. C. 3. d. 21. n. 6.* Quare pauperibus & aliis egentibus civibus, quibus necessaria pro personæ ac status sui conditione desunt, mutuo potius aliquo ex ærario publico, si Resp. bene sit constituenda, est subveniendum, quam ut substantiam suam, ad sui suorumque sustentationem necessariam, in illud conferre urgeantur; idque exemplo piorum ac liberalium quorundam Principum, quorum supra memineram. Legitur quidem jus, quod & pauperes collectis subjugat, *in Rec. Imp.* in der Ordnung des Regiments *de A. 1500. §.* nehmlich daß allem ꝛc. *tit.* von Söldnern. Verùm hoc propter Mutui naturam, in multis adhuc à ratione tributorum recedentem, in exemplum ejus hic trahi nequit; nisi tempore extremæ necessitatis ejusmodi quoque casus dari possit, quo summa necessaria neque à ditioribus neque à mediocriter divitibus absque nimia attritione rei familiaris, ex qua necessaria sui suorumque sustentatio dependet, haberi queat, ita ut & ipsi pauperes ad integrandam Mutui summam aliquid conferre possint.

Pauper quis? Egenus quis?

Vel respective & civiliter inhabile.

§. 47. Facultas verò respectiva, de qua jam superius quædam in Causa Effic. §. 17. attigimus, quæque alio respectu habilitatem, alio inhabilitatem ad onera Reip. ferenda infert, in est vel abest

abeſt perſonis, quatenus aliæ ditiores & ampliores poſſident facultates, aliæ verò tenuiores, ita, ut iniquum ſit, tenuioris fortunæ civem eadem phyſica portione, quâ ditiorem convenit, onerari; unde id, in quo onus impoſitum proportionem ſuarum facultatum in ordine ad ditiorem excedit, non tantùm non debere, ſed nec habere jure ſit intelligendus *l.6.§.5.π. de Offic.præſid. l.3.§.15.π. de Mun. l.14.§.3.eod. l.1.C de quib.mun.vel præſtat.* Sicut autem hic facultatum reſpectus, æquam inter omnes onerum diſtributionem inferens, in tributis, quantum poſſibile, eſt obſervandus; ita non minus in Mutuo Reip. præſtando; ſed alio haud dubiè in hoc, quam in tributis modo; ut hæc regula hic ſit probanda: *Quo ditiores ſunt perſonæ ſubjectæ, quoq; amplioribus rerum facultatibus ſunt inſtructæ, eò etiam habiliores ad mutuum, publico præſtandum, jure ſunt cenſendæ*; adeò quidem, ut ſi ſumma neceſſaria à ditioribus aut quorundam eorum ſolis commodè haberi poſſit, ejus portio nec juſtè nec utiliter mediocriter divitibus & opificibus, dem Mittelmann/ imperetur; & hoc tantò injuſtius, ſi his illud non pro rata ſubſtantiæ contingat. Quod enim in veris tributis mediocriter divites pro rata portionis ditioribus juſtè conjungantur, id inter alia exinde defenditur, quod illorũ diſtributione, æqualiter factâ, in ea quantitate ad illos decurrant, cui facile pares eſſe poſſunt, unde nihil habent quo de querantur; longè enim minorem tributa important quantitatem, quàm quotũ mutui diſtribuendũ, quod celerioris ac præſentioris ſubſidii cauſa, cum ex tributis cogi nequeat, quantum tributorum longè exuperat. Igitur, etſi mediocriter divites & opifices pauperes dici nequeant, dum relati ad ſe inopiam nullam patiuntur, atque relati ad pauperes & egenos etiam divites audiant; etſi etiam Mutuum his cum fœnore aliquando ſit reſtituendum; quia tamen totam ſæpe ſubſtantiam ſuam, ad negotiorum & opificiorum, quæ tractant, nec non familiæ ſuæ uſus quotidianos, ne egere incipiant, ipſis impenſu opus eſt, non poteſt non etiam Mutuum ipſis tantò gravius tributis videri, quantò levius id ditioribus contingit, quorum intuitu vix etiam onus vocari meretur, dum pecuniam ut plurimum otioſam in arca poſſident, aut al às illam aliis fœnerare ſolent. Econtra verò mediocriter divites & opifices uſu pecuniæ ſuæ, Reip. mutui nomine præſtandæ,

Mediocriter divites & opifices. der Mittelmann.

diverſo reſp. ſunt pauperes & divites.

standæ, absque damno, quod usuris haud facile pensari solet, carere posse non videntur.

Divites præ reliquis Mut. p. onerandi.

§. 48. Non igitur repetam hic, quibus ex causis opulenti, tanquam cives, ad succurrendum Reip. sint obligati, ad quos etiam, ceu αὐτάρκας in liberalitate exercenda natura ubique provocat; imprimis quod obligati sint ut planè liberaliter in Rempubl. ex bonis, quæ in ea nacti sunt, ceu ἀνθιδώρου quoddam conferant, quod & intendit Jureconsultus *in l. 6. §. 7. π. de Excus. Tut.* unde multò magis ad mutuum, præ reliquis sponte conferendum, se obligatos agnoscere possunt; Sed dicam potius hanc justitiam respectu mutui communiter à Dd. doceri, vid. Vasq. 1. *Contr. Illustr. c. 6. n. 7. & 8.* Molin. *tom. 2. p. 1. disp. de Just. & Jur. 315. n. 4.* Faust. *in Cons. pro Ær. Class. V. ord. 569. class. VII. ord. 653. & passim.* Klok. *de Ær. lib. 2. c. 23.* Perez *ad Cod. de Superind. n. 5. & 17.* add. Dn. Spreng. *in Inst. Jur. p. lib. 2. c. 20.* & ab his allegati Dd. alii. Atque ita quidem Divitibus præ reliquis civibus Mutuum imponi potest, ut non tantùm toti Divitum ordini, cuique scil. in illo pro rata, mutuum imperetur; sed & certi quidam ex illis soli onerentur; *vel tùm*, cùm necessitas distributionis moram non admittit, ut sic illi, quos ita necessitas comprehendit, per manus *injectionem* ad mutuum licitè compellantur; quod factitabant Carolus V. & Philippus filius ejus, Reges Hisp. qui, bello infestati, ab Hispalensibus civibus & aliis, ab Indorum regnis venientibus, allatum aurum & argentum mutuò læpissimè sumserunt, eosque ad id compulerunt, referente Vasq. *d. l. & lib. 1. de succes. creat. §. 6. n. 22.* Citra tamen manus injectionem Proceres regni Scotici, cum ad ornandam classem contra Bothvellium pecunia deesset, eam à Jacobo Duglassio Mortonio mutuò acceperunt, qui tum impendio privato solus publicæ necessitatis onus sustinuit. Buchan. *in hist. scot. lib. 19. p. m. 670.* *Vel tùm* etiam, cùm necessitas publica moram distribuendi mutuum admittit, adhuc certus quidam numerus eligi poterit, qui mutuum præ reliquis pendant, si tamen & ab his solis summa necessaria commodius ac promptius, quàm conjunctim cum reliquis, haberi possit; idque exemplo Henrici II. Regis Gall. qui exercitum suum à Cæsareanis fusum, redintegraturus, tribus regni sui provincialibus per Cardinalem Lotharingiæ edixit, ut quisque

ex communi Dd. sententia.

Vel totus eorũ ordo

Vel ex illo certi quidã

è sua

è sua provincia mille viros seligeret, quorum singuli mille coronatos absque usura Regi crederent, id quod facile ab illis obtinuit, atque hoc modo ter millies auri coëgit, belloque restaurato res præclaras non sine magna sui laude confecit, Boter. *lib.7. de polit. illustr. c.5.* Unde non possumus non hic quoque justitiam τῶν Ἀλληλεγγύων Græcorum comendare, quod in hoc insignem cum Mutuo subsidiario affinitatem rèfert, cum sit *Mutuum quoddam debitum subsidiarium, quo divites pro tenuibus tempore militiæ se obligasse atq; fide jussisse intelliguntur, ut ditiores soli pecuniam & stipendia solverent, egeni vero militarent*, Zonar. p. 110. *tit.3.* cui geminum est, quod laudat Bodin. *lib.6. de Rep. c.2 p.m.* 1023. scil. ut prementibus hostibus strenuissimi quique armis ac stipendiis eorum, qui bello gerendo inutiles, foverentur ac sustentarentur, idque Romanos feciſſe ex Liv. *lib.26.* refert, quo & fieri ait, ut alii aliorum opibus & auxiliis communem civium salutem tueantur.

Ἀλληλεγγύων Graecorum affine Mutuo P.

§. 49. Imò vix est, quin Opulenti ad aliquam succurrendi promptitudinem tot quoque egregiis invitari se exemplis patiantur, quorum elegans aliquod mutui liberaliter collati ex Jov. Pontani *libro de prudent.* refert Faust. *in Cons. pro Ær. class. XI. ord* 840. Clarent etiam Veneti apud Politicos pariter ac Historicos hac eximia laude, daß ſie ſo wol in der Statt als auff dem Lande auß ſonderlicher Liebe des Vatterlands für ſich ſelbſt zu geben geneigt ſeynd/ und deßwegen es bey Jhnen weniger Kunſt gebrauche/ eine extraordinari Anlag zu samlen. Faust. *d. l. Class. XIX. ord.* 1501. & 1521. Denique si nec amore in Remp. nec justitiæ nec glorioſi argumentis ad spontaneam mutui collationem pinguioris fortunæ homines ducantur, cognoscant modo, ipsorum pluris quam reliquorum interesse Remp. esse salvam, à qua etiam suum cum gratia & fœnore certò sint recepturi; aut tandem, nolint velint, necessitati ipsis parendum esse. Itaque cum aliquando Reip. Venetæ cives plerique ex iis, quibus ampla res esset, in necessitate belli contra Julium II. Pontificem, adduci non potuissent, ut mutuum in ærarium conferrent, quod nulla suæ patriæ charitate, nullo Reip. amore, contra illius gentis genium tenerentur; Decemviri suis ministris mandaverunt, ut illos prius ea de re admonitos, si post dies octo nihil contulissent, captos in carcerem contruderent;

Opulenti ad mutuandum exemplis se invitari patiantur. Veneti faciles ad onera præstanda.

quod si se occultavissent, ut eorum domibus rem familiarem abriperent magistratibusque traderent distrahendam. Quod sicut bono publico & laudi modo memoratæ ejus gentis pernicioſum exemplum erat, ita fatetur Bemb. *lib. X. hist. ven.* has duas res uti publicè juberentur, ante id tempus nunquam etiam accidisse.

Vile etiam ut soli ditioribus M. injungatur.

§. 50. Neque minus hæc in ditioribus Justitiæ & æquitatis ratio Reip. consulta & utilis esse potest; non tantum enim hoc modo tenuioris conditionis civium bona inregra servantur, ut eo minus in negotiis & opificiis suis tractandis impediantur, cum Reip. interſit locupletes habere cives *Nov. 8. in præfat. §. 1. vers. consideravimus. arg. §. 2. Inst. de his qui sui vel al jur.* Sed & non oneratis his, quorum cum pauperibus ubique ferè major numerus reperitur, eò facilius ditiores à Magistratu in officio contineri poterunt, quod in Belgia obſervari refert Metteran. *in hist. Belg. lib. 24.* conf. Besold. *de Ær. publ. c. 4. §. 12.*

Exceptio.

§. 51. Sed urgente tanta necessitate, ut & à ditioribus, quorum opes satis frequenter jam ante attritæ erant, summa necessaria absque tùm ruina negotiationum, quas exercent, tùm gravi diminutione eorum, quæ ad honestam illorum suæque familiæ conditionem spectant, congeri non possit, nullum quoque erit discrimen rerum & personarum, sed omnes tenebuntur publicæ necessitati subvenire, & sarcina Mutui præstandi à ditioribus ad mediocriter divites & opifices decurrat, necesse erit; si alirer communi bono provideri nequeat. *l. 1. C. de quibus mun. vel præst.* add. Perez. *in Cod. de superind. n. 17.* ita tamen, ut, quantum fieri poterit, cuique portio mutuo danda pro facultatibus admensuretur. Ob speciales verò utilitates, in Rep. promovendas, mutuum eos quoque cives specialius gravabit, ad quos istæ proximè redundaturæ sunt. *l. 10. π. de R. I.* add. Perez. *in Cod. de Ind. n. 17.*

Civiũ particularium loco sunt, integræ etiam Civitates, oppida, villæ & collegia.

§. 52. Quod huc usque in civibus particularibus ratione mutui justum esse asseruimus, idem etiam de integris civitatibus, oppidis, villis & collegiis quæ majoris universitatis partes, atque respectu summæ potestatis singularium civium rationem subeunt, dicendum venit. Perez. *in C. de superind. n. 5.* Ita Reges Galliæ soliti sunt pecunias à civitatibus suis ferè singulis mutuò accipere; civitates vicissim à privatis, quibus usuras besses ex vectigalibus

galibus ac tributis, quoad sortem reciperent, promitti necesse fuit. Id quod Reges quidem haud culpando fine fecerunt, ut scil. Civitates obsequio ac fide majore, acceptis mutuo pecuniis, devincirent. Sed cum neque civitatibus, neque privatis singulis satisfieri potuisset, nullis temporibus graviores in Gallia tumultus, aut plures civitatum defectiones extiterunt, referente Bodin. *lib. 6. de Rep. c. 2. p. m.* 1043. Igitur tutius ac commodius mutuum erit, quodque ærarium sine dispendio tùm publico tùm privato ditare potest, si, quod Politici & Dd. notant, observetur, dari in magnis civitatibus *collegia* artificum, opificum ac sodalitates, quæ sæpiusculè ærarium privatum sive bursam communem multis pecuniis refertam possident, de quibus seniores Collegii, qui in jure nostro *Primicerij* dicuntur, *tot. tit. Cod. de primicer.* potestatem pro lubitu disponendi habent. Ab iis igitur Magistratus loci aut Princeps, efflagitante necessitate, sine usuris mutuum commodè accipere potest, ita tamen ut sors ipsa principalis bona fide restituatur. conf. Klok. *de Ær. lib. 1. c. 23.*

§. 53. Utut verò in Civibus & iis, quæ personas civium sustinent, subjectio & facultas rerum concurrant; his tamen sæpè occurrunt alii respectus civiles & æquitatis, qui personis subjectis & rerum facultatibus locupletatis favorem præ aliis conciliant, atque pro eximendis iis ab oneribus publicis causam justè orare videntur. Non autem hic attinet, omnes & singulos istos enumerare respectus, quiunquam in jure nostro personis quibusdam immunitatem meruerunt, de quibus *tott. titt. ff. & Cod. de Mun. & Hon. de Vac. & Excus. mun. de jur. immun.* & in Comment. Dd. ad nauseam usque tractatum est; Sed eos tantùm, quos in mutuo imperato & coacto vel attentos vel non attentos deprehendimus. Neque necesse est, ut in Mutuo P. ad quosvis illorum reflexio fiat, *tùm* quod mutuum non per omnia de onerum & tributorum natura participet; *tùm* quod aliquando in mutuo præstando libera civium voluntas eligatur; *tùm* maximè, quod ut plurimum eo tempore ejus usus rigidior sit, quo nec tutò alia onera imponi, nec tributorum collatio expectari potest; ita ut is, qui præsenter ac commodè bonis suis Reip. aut principi prodesse poterit, ejus quoque necessitatibus mutua pecunia subveniat; adeoq; propter favo-

Subjectioni & facultati rerū alij quandoq; respectus occurrunt;

non omnes tamen in Mutuo P. attendendi.

nisi fere sola pauperitas & defectum bonorum.

favorem publicum, omni privato longè potiorem, alius ferè quàm paupertatis respectus & is, quo quis tenuioris fortunæ quàm alter dicitur, in civibus attendi haud possit.

Nec mulieribus nec Pupillis, rerum facultate præditis, in Mut. P. parcendum. Exempla.

§. 54. Hinc deprehendimus in Mutuo Imperato nec mulieribus nec pupillis parci. Et licet quidem hæ personæ præ reliquis civibus in Jure nostro passim favore aliquo gaudeant; exemptionem tamen immunitatemque à muneribus & oneribus patrimonialibus nunquam habuerunt. *l. 9. C. de mun. patr. l. un. C. de Mul. & in q. loc. l. 5. & 7. C. de mun. patr.* Ita, quod mutuum respicit, Ephesii cum pecunia indigerent, legem tulerunt: non licere ut mulieres aurum gestarent, quidquid eo tempore auri haberent, ut id commodarent civitati. Arist. 2. *Oecon.* Servius etiam à divitibus tantùm Matronis æs in milites exegit. Halycarn. *lib.* 4. Sed Dionysius Syracusanorum Tyrannus in pecuniæ inopia, professione apud se facta, describi jussit pecunias familiarum, quæcunque essent parentibus orbæ. Quo facto ipse pecuniis illis usus fuit, donec in suam singuli tutelam venissent. Arist. *d. l.* Hunc imitati sunt Malcolmus seu Malcolinus, aut Mancolinus Scotiæ Rex, Boëth. *in Hist. Scot.* & Henricus III. Rex Angliæ, Polydor. Virgil. *in hist. Anglic.* qui statuerunt, pupillos in regia tutela esse debere, eorumque bona interim quoad usum fructum fisco esse vindicanda. Unde Bornit. *de Ær. lib.* 7. *c.* 1. (quod caput verbotenus descripsit Faust. *in consil. pro ær. Class. X. ord.* 822. & alia capita passim) ait, *esse principes, qui veluti regale quoddam sibi pecunias pupillorum vendicant, donec ad annos pubertatis pervenerint. Quibus interea utuntur usuris solutis*, unmündiger Kindergeld verzinsen.

Sed à pupillorum quidem bonis abstinendum videtur;

§. 55. In hoc tamen dicti Reges & Principes ad dominatus severitatem accessisse, visi sunt Arnis. *in polit. lib. l. c.* 11. *p. m.* 109. Et fatendum utique est, tantò graviorem esse injuriam, si imperantes ad explendam suam libidinem personas hasce bonis suis exuant. Quo vitio utique taxandus est Dionysius, qui ita pupillorum bonis abusus est, atque mulieres mundo suo muliebri argutè & sub dole defraudavit. vid. Arist. *d. l.* Deinde ipsi pupilli reliquis civibus infeliciores omnino sunt habendi, quamvis vel ditioribus vel mediocriter divitibus ratione patrimonii sint accensendi; quia propter judicii & ætatis defectum negotia sua prudenter ac prosperè tractare

tractare nesciunt; sed toti ab aliis regi ac defendi necessum habent. §. 1. *Inst. de Tut. l. 1. π. eod.* quo ipso illorum bona decrementa fere quotidie capere solent. Quid igitur iniquius, si adhuc fructibus & reditibus patrimonii sui eludantur ac carere cogantur? ut adeò pupillis haud immeritò, si non in aliis oneribus ac tributis, utiq; tamen in mutuo hoc parcendum esse, cuipiam videri possit.

§. 56. Enim vero, re penitius inspecta, usuque illarum rerum & ad Reip. salutem promovendam, & ad ipsos pupillos rectè ordinato, planum fiet, non iniquè res pupillares, (nam mulierum patrimonium & otiosum mundum, aurum & argentum, tanto justius Mutuo sumi posse, dubio deindè carebit) à Magistratu seu Principe per modum mutui fisco vindicari posse; si scil. I. publica salus id efflagitet, ad quam promovendam pupilli cum aliis civibus ex omnibus istis causis, quas supra adstruximus, naturaliter sunt obligati; quippe qui bonis & pecuniis instructi id muneris præstare possunt, *l. 5. & 7. C. de mun. patrim.* Neque mutuo sumendo justitia tractandi res pupillares refragabitur; utpote cum melius pupillis in Rep. consuli nequeat, quàm si pecuniæ eorum fœnori occupentur; in quem etiam finem res illorum aliæ non fructuosæ in pecunias convertendæ sunt, quas postmodum Tutores in emptionem prædiorum, aut, si id tuto fieri nequit, in usuras & fœnus collocent, quod sicut olim de J. Civili obtinuit *l. 24. C. de Adm. Tut.* ita id adhuc hodie moribus observari testatur Carpz. *part. 2. C. 11. def. 22.* add. Constit. Reip. Argent. *de Ann. 1660. Tit.* wessen die Vögte bey Anlag der Vogteygelder ꝛc. quamvis jure Novellarum *Nov. 72. c. 6. Auth. novissimè C. de Admin. Tut.* illa fœnerandi necessitas, nec ea tamen simpliciter *per c. 7. d. Nov.* tutoribus remissa fuerit. Unde colligitur (1.) Pupillorum pecunias usui publico commodissimè ac justissimè mutui nomine adhibendas & accipiendas esse, antequam superior cogitet ab ullo alio civium mutuari; aut adminimum hoc respectu pupillos etiam mediocriter divites inter opulentos istos esse referendos, quorum pecuniæ essent otiosæ, ni aliis fœnori darentur, unde potius Reip. ad usuras credendæ quam aliis; quo ipso etiam reliquos cives parcetur, ne illos pecuniæ suæ, quibus majora lucra in negotiationibus & opificiis suis venari possunt, deficiant. Quod, ut puto, & æquitati & utilitati

Re tamen rectius considerata juste pupill. bona Mutuo occupantur. Cujus Requisitum 1.

utilitati Reip. satis est consonum. (2) Concluditur, melius ac rutius agi cum pupillis, si res & pecuniæ eorum Reip. aut Principi credantur, cum facilius fides privata quam publica vacillare, priusque unus alterve privatus, quam Resp. non solvendo fieri possit *l. 22. vers. huic accedit. C. de Admin. Tut.* Hinc Bornitio *de Ær. lib. 7. c. 1.* merito videtur, *hac ratione pupillis optime cautum esse, dum sibi Principem, Patrem Patriæ obligatum habent, qui istis quam optime & prudentissimè prospicere præsumitur, ratione paternæ affectionis, quam præ se fert. Viderit verò*, pergit idem, *Princeps, quid è re sua & dignitate futurum.* Quibus ultimis innuit, ne imperantes ex avara libidine utilitates ac fructus, quibus patrimonium pupillorum ac minorum honestè vel conservari vel augeri possit, intercipiant, vel in

Requis. 2. ipsam ejus substantiam involent. Quare II. requiritur, ut pro usu earum rerum Princeps aut Resp. justum ac licitum pupillis pendat interesse seu usuras, ne unius vel paucorum damno salus communis, quæ ad omnes spectat, contra naturam promoveatur. *l. 10. π. de R. I. l. 206. π. eod. l. 14. π. de Cond. ind. c. locupletari 48. de R. I. in 6.* In Gallia quidem alicubi, notante Tholos. *de Rep. lib. 3. c. 2. n. ult.* moribus est recepta quædam nova & priscis Romanis incognita tutelæ species, quam appellant *Garde* vel *Bail*, cujus ea vis sit, *ut rerum pupillarium fructus tutor suos faciat, modo pupillos alat, eorumque æs alienum dissolvat, & possessiones sartas tectas tueatur.* Sed magnam hic inæqualitatem *tàm* à parte Tutoris *quàm* pupillorum, ut vel iste vel hi in non levi damno essent, nonnunquam intercedere,

Requisit. 3. nemini non obvium esse potest. Denique III. justitiæ ratio postulat, ut finita tutela & cura pupillis, & minoribus, majorennibus atque tractandarum rerum suarum capacibus factis, substantiæ eorum cum usuris honestis bona fide restituantur; aliàs nescio quid iniquius cogitari possit?

Clerici quoque sunt Mut. P. Imperati subjectum.

§. 57. Clerici quoque, qui & ipsi potestati laicæ omnino sunt subjecti, Gerhard. *de Mag. Pol.* §. 440. *& seqq.* Arnis. *in tr. de Ex. empt. Cleric. c. 3. & 4.* atque eâdem cum reliquis civibus publica fruuntur salute, si modo & diviti rerum facultate sint præditi, commodè ac justè imperio superioris ad mutuò dandum obligari possunt. Horum enim res fungibiles ut plurimum otiosæ apud ipsos existunt, quoniam illorum officio & honestati sacerdotali

non

non bene congruit, ut negotientur & fœnus exerceant; atque cum propria doctrinæ & vivendi ratione alios ad charitatis & liberalitatis, publico & proximo exhibendæ, officia instruant ac invitent; sibi ipsis quoque præ reliquis gratulentur, sua liberalitate suoque beneficio Remp. esse adjutam, hocque ipso tenuioris fortunæ hominibus rem familiarem integram fuisse servatam; Quare & his, restituto mutuo, præ reliquis gratia à Rep. est habenda. Sed salvis de cætero eorum privilegiis ac immunitatibus, quas in aliis muneribus intuitu DEi favoreque Religionis passim in jure nostro & Rebuspublicis Christianis justè meriti sunt; licet à patrimonialibus de Jure civili immunes non fuerint. *l.3.C.de Episc.& Cleric.l.8. §.4.ff.de vocat.mun l.6.C.de mun.patrim.* Accedit, quod Pontificiæ religioni addicti Dd. communiter quoque statuant, urgente necessitate clericos æque ac laicos cogi posse frumenta, quæ habent, supra quam sibi necessarium sit, venum exponere ad præcavendam famem, utque pretium, statuto ejus civitatis definitum, in venditione frumenti observent. Perez. *ad Cod.ut nem lic.in coempt. n.7.* & Dd. *in c.7.X.de immunit.Eccles.* Quin idem Perez. *ad Cod.de Ind.n.22.* statuit, Clericos etiam ad Collectas posse urgeri, si necessitas publica spectat etiam commodum & defensionem ipsarum rerum, quas in territorio isto possident, aut &c.

§. 58. Cum Clericis cohærent Monasteria, quæ ut plurimum multis pecuniis referta, aliarumque rerum fungibilium, vini scil. frumenti &c. copia provisa esse solent; unde eodem jure, quo à clericis, ab his, imò commodius adhuc, nim. absque usuris aut sub modico interesse, mutuum sumi potest. Faust. *pro Ær.cl.19.ord.1521.* Quantas verò summas ex monasteriis Reges & principes sæpius in publicum redegerint, historiæ passim, præsertim hodiernæ, referunt. *Monasteria item.*

§. 59. Quid autem Magistratibus & iis, qui in partem publicarum curarum à summa potestate adsciti, in casibus præsertim Reip. subitis & gravibus, circa mutuandum publico officii sit, id eos, *tùm* recta ratio, *tùm* exemplum Magistratus Romani, & Reip. Venetæ edocere potest; quorum illi, ut exemplo aliis præirent, omne suum æs, aurum & argentum in publicum contulerunt. Liv. *lib.26. c.36.* cujus & supra mentio in §.32. facta. Hi verò non tantùm *Num & magistratus & personæ aliæ curis publicis occupatæ?*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0047
DFG

tantùm istos sæpius in mutuo, ad Reip. necessitates collato, imitati sunt, Bemb. *lib. VII. p.* 310. *lib. XII. p. m* 516. sed & aliquoties legem tulerunt, ut magistratus omnes provinciales & urbani mediam stipendiorum partem Reip. remitterent, idque ad annum vel unum, vel longius aliquando tempus. Bemb. *lib. VI. p. m.* 230. *seqq.* Quandoque legem rogaverant, ut sex mensium stipendia remitterent, nec non reliquorum compendiorum, ex Jurisdictione aut alia re ad eos redeuntium, media pars in ærarium inferretur; Item, ut horum magistratuum urbanorum & provincialium omnium Juris interpretes, scribæ ministrique mediam & ipsi cùm stipendiorum tùm compendiorum partem tribuerent Reip. Plura apud Bemb. *lib. VII. p.* 307. add. Relat. *de Potent. & Ær. Venet. p. m.* 323. Hæc autem *stipendiorum Remissio*, si non ipsum Mutuum vocanda, non exiguam tamen cum Mutuo P. cognationem habet, quemadmodum etiam cum eo inter Quasi Collationes à Dd. refertur. Speciem etiam Mutui P. refert *illud*, cum Principes cautionis loco à suis officialibus exigunt certam summam (wenn sie ihren Vorstand in die Kammer müssen ein andworten auffetliche tausend) cujus usuras annuatim percipiant; cæterum cum minus fideliter functioni suæ præfuerint, in facili videtur ab officiis remotio & damni compensatio. Cui respondet, quando à Consiliariis & officialibus datur mutua pecunia Principi in initio muneris sui, wenn die Jenige / so zu einem Ampt kommen etlich tausend darleyhen müssen/welches Ihnen verzinßt wird. vid. Bornit. *de Ær. lib.* 7. *c.* 1. His quoque affinis est *Venditio Magistratuum*, qua & Resp. Veneta sibi aliquoties consuluit. Bemb. *lib. X. p. m.* 410. add. Relat. *de potent. & Ær. Ven. d. l.* de qua tamen aliàs haud magnificè sentiendum; videatur omnino Bodin. *lib.* 5. *de Rep. c.* 4. *n.* 547. *&* 551. *seqq. & lib.* 6. *c.* 2. *n* 651.

Affinis Mutuo P. stipendiorum remissio-

2. quod cautionis loco ab officialibus exigitur.

3. Pecunia ab officialibus in initio muneris sui mutuò data.

4. Venditio magistratuum.

§. 60. Denique in summa tenendum, tempore necessitatis, quo ordinaria munera non sufficiunt, aut commodè promptèque haberi nequeunt, neminem, qualiscunque etiam personæ respectus, qui immunitatem vel privilegium aliquod in Rep. obtinuit, sicut ab aliis oneribus extraordinariis, ita etiam à mutuo, quo Reip. indigenti succurrendum, excusationem habere posse *l.* 1. *C. ut nem. lic. in empt. spec.* Summa enim potestas in omni Privilegio & im-

Summa necessitas tollit omnè immunitatem.

& immunitate, vel tacitè summam legem publicæ salutis & necessitatis exceptam vult intelligi, vel interpretatione aperta expedit, quæ obstant. Dn. Bœcl. *ad Grot. lib. 1. de I. B & P. p. 130. seqq.* Hinc quæri hîc solet, *num superior civem à debito suo civili in mutuo aut aliis exactionibus præstandis quocunq; tempore ac necessitate solvere possit?* seu ut alii: *num dominio supereminenti solvere possit?* Neg. cujus nervus in hoc; quod obligatio civis erga Rempubl. à DEO & natura constricta, & ad eam Princeps à subdito exigendam DEI lege obstrictus sit. Quando autem Princeps immunitates ac privilegia ex justis causis concedit, obligationem in civibus non tollit, sed explicat eam, ac distribuit, quantum cuique oneris jure meritoque ferendum competat. Igitur si quem privilegiis munitum necessitas tàm arctè comprehenderit, ut, ni bona mutui vel alio nomine in publicum conferat, Resp. aut salva esse non posset, aut aliud ingens damnum sentiret, quî poterit Princeps facere ut hoc non debeat, utque Resp. dissolvatur? minime. conf. Dn. Bœcl. *d. l. p. 131.* add. Perez. *in Cod. de Imm. nem. conc. n. 4. seqq.*

Superior civem à debito civili solvere nequit.

§. 61. Ex his hactenus expositis indubitata hæc fluit conclusio: *Quicunq; nec quoad personam nec quoad res summæ potestati alicujus civitatis subjectus est, ei mutuum justè imperari nequit, multò minus is ad id cogi potest.* Sunt autem tales (1.) Vasalli (2.) Exteri & Forenses. *Vasallus* enim ut Vasallus, cum juramentum subjectionis, die Huldigung/Landes-Huldigung &c. Domino propter feudum non præstet. Dn. Struv. *Synt. Jur. Feud. c. 8. aph. 6. n. 9. & c. XI. aph. 2. n. 2.* etiam feudi Domino subditus dici nequit. *II. F. 5. ibi: aut si ideo jurat &c.* Hinc sicut Vasalli ad nulla onera ex causa *subjectionis* urgeri possunt; ita nec ad mutuum Domino præstandum; & hoc etiam ideò, ne vasall⁹ duplici onere gravetur, cum domino ad servitia, ex natura feudi debita, jam sit obstrictus. Struv. *d. l. c. XI. aph. 5. n. 16.* Enimverò sicut Dd. hoc ratione collectarum inter alia quoque extrema necessitate limitant, Perez. *ad Cod. de Ind. n. 10. & 20.* Carpz. *lib. 4. Resp. 70. n. 21. & 22.* ita iidem communiter contendunt, dominum ad extremas redactum incitas justè posse Vasallum ad mutuum sibi dandum compellere. Vasq. *lib. 1. contr. Illustr. c. 6. n. 6. & 7.* Idque tamen non ex nexu aliquo *civilis subjectionis*, sed *feudalis*, & ex amore quodam filiali in Dominum tanquam patrem procedere re-

Mutuo P. Quicunq; subjugari nequeunt

1. *Vasallus.*

ctius defenditur *l.1. C. de Alend. lib.* add. Perez. *d.l.* quia Vasallus aliàs Domino, si opus est, opem ferre, eumque egenum alere debet *II. Feud.24. §. item si delator &c. arg. II. Feud.26. §. licet.* add. *II. Feud.6.* Ludvv. *in Synops. Feud. c.14. p.298. seqq.* Struv. *d. Synt. c. XI. aph.5. n.14. & 15.* unde Mantica coactionem ad mutuum multo magis in Vasallis quam in subditis esse recipiendam, *lib.8. de Tacit. & ambig. convent. n.18.* docet. (II.) Distinguendum inter Vasallum Jurisdictioni domini simul subjectum, & eum, qui subjectus ita non est; ut adeo is, qui & hodierno vocabulo Landsaß vocatur, eodem, quo reliqui cives & subditi, oneri mutuæ pecuniæ subjugari possit, *arg. II. Feud. 5. verbis: aut si ideò jurat &c.* vid. Wehn. *in observ. pract. voc.* Landsässerey & Landsteuer. Hunc sec. quosdam è quibus Bocerus *in differ. feud. c.4. n.43.* Vasallum de curte semper dixeris. Quid autem feudum de curte & extra curtem Feudistæ propriè sit; de hoc graviter inter se Dd. disceptant, quam tamen litem hic nostram facere nolumus.

§. 62. Secundò à justo Mutui Imperati subjecto excludun-

2. Exteri seu Forenses.

tur *Exteri* & *Forenses*, fierique tantum possunt subjectum mutui non Imperati spontanei & coacti. Quo jure autem Exteri, qui nullo modo indigentem Remp. attingunt, à summa ejus potestate ad mutuum dandum compelli possint, supra jam §.21. innuimus. Unde ab his distinguendi, qui, licet exteri seu Forenses aut Advenæ dicantur, aliquo tamen respectu & jure indigenti Reip. subsunt. Deinde notandum, Forensem aliquando à Dd. strictius, quam extraneum intelligi, illumque significare, qui respectu minoris alicujus reip. aut civitatis extraneus quidem est; sed unà cum ista generali imperio subest. Et quamvis civitas aut princeps inferior forensibus tributa vel collectas ex superioris concessione cùm tacitâ tùm expressâ imponere possit *l.17. §.5. π. ad Municip.* Klok. *de contrib. c.13. sect.2. n.13.* Adhoc tamen, ut his personis mutuum in-

ad jus mutuo subjugandi forenses specialis concessio requiritur.

jungi queat, requiritur, ut hæc superioris voluntas de Mutuo specialiter ex lege aut alio jure ostendi vel colligi possit. *arg. l.2. C. ut nem. lic. in coempt spec.* (quam legem Cujacius ex libris Βασιλικῶν restituit;) Non enim ad jus mutui imperandi sufficere potest, concessum esse à superiore jus tributa imponendi; quia, dum causa mutui, quod simul contractus est, in multis adhuc à tributis di-

stingui-

stinguitur, in eo demùm qui τὸ Κύριον Civitatis habet, collectio illa justè procedere potest; neque ab ordinariis tributis, forensibus imponendis, statim ad extraordinaria, quorum quasi species est Mutuum, concludere licet. *l. 6. §. ult. π. de Mun. & Hon. l. 4. C. de incol. R. Imper.* zu Speyer *de A.* 1542. §. dieweil aber etliche 68. *& R. I.* 1544. § damit nun solcher 45. Gail. 2. *Obs.* 52. *n.* 11. 12. *seqq.* Klok. *de contrib. c.* 13. *sect.* 1. *n.* 1. *seqq.*

§. 63. Ut ut autem hæc ita se invicem consequantur, neque facile dici possit, forenses & extraneos ex jure aliquo subjectionis ad alienæ Reip. onera ferenda esse obligatos, atque cogi posse; ni hilominus tamen ex alio jure, & ad minimum ex consensu tacito Extranei & forenses, qui egentem statum aliquo respectu attingunt, sicut ad onera & tributa tàm ordinaria quàm extraordinaria, ita quoque ad mutuum inferendum obligati dici possunt, ut propterea summa alienæ Reip. potestas jus habeat, forenses & exteros ad mutuum & tributa extraordinaria compellendi; maxime in extremis Reip. casibus, ubi causa finalis onerum & Mutui eorum quoque personas, res & bona respicit, add. Klok. *de Contrib. c.* 13. *n.* 8. *& seqq. & n.* 12. Gail. *d. l. n.* 15. Ita tamen, ut ubique pro diversa exterorum ac forensium habitudine diversum etiam eis jus applicetur. Forenses autem & extranei Remp. aliquam, necessitate pressam attingunt, *vel* ratione bonorum *tantum*, *vel* ratione bonorum & commorationis *simul*. Qui ratione bonorum, mobilium sc. & talium, quæ subsidium mutui subministrare possunt, alienam Remp. attingunt, *vel* bona inibi simplicis asservationis causa possident; *vel* negotiationis causa ibi habent; ut mercatores, qui pergulas suas in nundinis aperire solent; *vel* ex causa miserabili illa eò transtulerunt; *vel* denique cum bonis suis illorum transvehundorum tantùm causa, eò pervenerunt.

Ex alia quam subjectionis causa à forensibus & exteris mutuum exigi potest, scil. consensu tacito;

Sed qui Rempubl. necessitate pressam attingunt

§. 64. Qui *simplicis asservationis* aut *negotiationis causa* bona in aliqua Rep. possident, sicut in casu eo, quo par commodum utrisque & civibus & forensibus ex impositione onerum extraordinariorum quæritur, aut æquale periculum ab utrisque avertitur, ad ea quoque onera se obligasse præsumuntur, adeò ut ex justitiæ commutativæ ratione summa in ea potestas pro tutela & defensione *justè* ejusmodi tributa exigere possit; ita, si periculum

1. ratione simplicis asservationis bonorū & negotiationis;

ſum non alio, quam mutui ſubſidio, ad quod civium bona ſola non ſufficiunt, declinari poteſt, etiam ultrò in mutuum, ex rebus ſuis ibi locorum poſſeſſis ſumendum, conſenſiſſe potius, quàm una cum bonis civium ea perdita voluiſſec, enſendi jure ſunt. conf. Fransk. *lib.1.reſolut.20.n.34.* Dn. Zigler. *diſs.1.de Coll.9.71.72.ſeqq.* Qui verò *ex miſerabili cauſa* convaſatis rebus ſuis unà cum tota familia in Remp. quæ ſubſidio poſtmodum egere incipit, ſecuritatis cauſa confugére atque ab illa recepti ſunt, ut ut etiam in ea ad tempus morentur, nulla tamen ratione onerari aut ad pecuniam muto conferendam cum teliquis compelli poſſe videntur arg. *l.16. §.8. de publ. & vect.* fac. *l.15.π.eod.* quamdiu ſcil. à ſubditis ſufficiens auxilium ſperari poteſt; ne afflictis nova addatur afflictio. Gloſſ. *in l.divus 14.π.de offic.præſ.* neve ab ipſis offendantur, in quorum tutela recepti ſunt. At ſi neceſſitas ita extremè urgeat, ut nec civitas ſibi ſufficiat, Recepti non tantùm jure naturæ erunt obligati, ut beneficium beneficio compenſent, atque ſuum bonum, quod minus, bono Reip. quod majus, poſthabeant; ſed & hocipſo, quod ad illam confugerant, tacitè ſua auxilia ei promiſiſſe atque ea in mutuo aut alia in re, quâ opus eſt Reip. ferre nolint, jus ſe ad ea cogendi ſummæ ejus civitatis poteſtati tranſcripſiſſe ſunt telligendi.

Non qui ex cauſa miſerabili ſua eò tranſtulerunt,

quod limitatur.

Illi qui tranſeũtes vel tranſvehentes ſua bona eò pervenerunt.

§. 65. Quod porro illos attinet, qui *tranſeundo aut tranſvehendo* res ſuas egentis Reip. territorium attingunt, iſti ſanè ex nulla harum recenſitarum cauſa mutuo ſubjugari, ſeu ad *illud* compelli poſſe videntur. Etſi enim principes aliàs bona mercatorum, in ipſorum portibus deprehenſa, invitis dominis mutuo ſumere aſſolent, quod Hiſpanum ex Vaſquio, Angliæ Reginam ex Cambdeno, & alios ex aliis patraſſe, ſupra jam notavimus; hoc tamen facere nequeunt *vel* ex præſumpto dominorum conſenſu, cum his forſan nonæquale periculum cum civibus eo tempore immineat; *vel* etiam ex jure aut obligatione aliqua ex re ipſis nata; quales rationes prædicti caſus præ ſe ferunt. Ex obligatione enim ex re nata tranſeuntes aut tranſvehentes merces ſuas non aliter quam ad vectigalia & pedagia præſtanda territoriorum domini obligatos tenere poſſunt, & ad hæc ne quidem pro neceſſitatibus Reip. ſed pro ratione & modo ſaltem ſumptuum, ad vias & tranſitus tutandos,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0052
DFG

dos, impendendorum. Grot. *de l. B & P. II*, 2, 14. Unde cum A. 1582. Fridericus II. Daniæ Rex ab Anglorum Mercatoribus in transitu freti Danici seu Oresundi, ardente inter ipsum & Suecum bello, tricesimam partem omnium mercium, quam *pensitationem Oresundicam*, Lastgeld/ vocabant, exegisset; eam sanè ceu merum vectigal accipere non potuit, cum jam antea justo satis modo mercatores pro singulis navibus Rosatum nobilem, seu quartam partem *unciæ* auri & tantundem pro mercibus cum pauculis numis ad ignes nocturnos & alia dependerint; sed nomine mutui tantum, cum promisso, ut bello finito refunderetur; nec hoc quidem ex alio jure, quam *Gentium*, quo licet etiam ab Exteris, qui nullo respectu Reip. inopia presslæ subjecti sunt, res mutui nomine tempore necessitatis auferre, quibus etiam transeuntes & transvehentes merces suas hic pares reddimus. conf. supr. §. 21. 22.

§. 66. Denique qui ratione *commorationis & bonorum simul* Remp. egentem attingunt, quos alio nomine advenas, incolas aut inquilinos vocaveris, *vel* in ea, in qua bona sua possident, perpetuo morandi causa habitant; atque domicilium constituerunt, sunt què nomine & jure incolæ & per consequens veri subditi *l. 7. C. de Incol. vel* in ea habitant, sed sine domicilio, incertumque & indefinitum animum habent, quamdiu ibi morari velint, aut ibi ad certum tantùm tempus nec exiguum morandi animum habent; interim contrahunt, treiben Handel und Wandel in seiner Maaß. arg. *l. 15. pr. π. de Interd. & rel.* germanicè dicuntur, die Schirmsverwandte. Qui licet de jure civili propter hanc commorationem aut habitationem incolæ vel subditi non fiant, *l. 17. §. 13. ad Munic. l. 2. & 4 de Incol.* arg. *l. 26. de capt. & postlim.* Jure tamen jurisdictioni ejus civitatis se subjecisse intelliguntur, atque per totum commorationis tempus summam ejus loci potestatem agnoscere tenentur, qui adeò cives vel honorarii vel temporarii dicuntur, add. Dn. Bœcl. *ad Grot. lib. 1. p. 118.* Cum igitur & horum ratio causam aliquam subjectionis & obligationis civilis in se contineat, non ambigendum, quin mutuum pro Reip. salute iis cum reliquis civibus imperari atque invitis jure superioritatis auferri possit, cum & alia onera subire teneantur. Hoc tamen observato, æquum esse, ut prius cives, majori obligatione propter privile- *2. ratione bonorum & commorationis simul.*

giorum & beneficiorum civilium communionem ad ſalvandam mutui ſubſidio Rempubl. ad ſtricti excutiantur, quantum ipſi facere commodè poſſint. Sciendum etiam, quod ultimum, Exteros ſæpe ex conventione & pacto teneri, ut vel mutua pecunia ſubveniant, vel aliud auxilii cauſa pendant, quales ſunt, quos ſocios vel fœderatos vocamus. Ita domum Auſtriacam & Saxonicam inter ſe mutuo pacto ad ſubſidia ſuggerenda, bello & hoſte imminente, obligari, teſtatur Bornitius *lib. 3 de Ær. c. ult.* confer etiam quæ de Exteris onerandis hic monet Perez. *ad Cod. de ſuperind. n. 6.*

3. *qui pacto aut fœdere ad mutuandum aut alia auxilia obſtricti ſunt.*

§. 67. Objectum Mutui P. in genere dicimus eſſe Rem fungibilem ſeu quantitatem *l. 8.* junct. *l. 21. C. de Loc. Cond.* Quid res fungibilis ſit? docet *l. 2. §. 1. π. de Reb. Cr.* & quantitatis acceptionem hujus loci determinat *l. 1. §. 7. π. ad L. Falc. l. 94. §. 1. π. de ſolut. l. 1. pr. π. de contrah. empt.* In ſpecie eſt (1.) Pecunia numerata, ceu omnium rerum aptiſſimum medium ac ſubſidium publica expediendi negotia *l. 22. verſ. huic accedit. C. de Admin. Tut. Nov. Leon. 52. pr.* add. Lipſ. *ſ. Pol. 6. & 4. Pol, 9. &c.* Aliquando, ſed raro Reſp. Veneta non niſi Zecchinos ad 8. pro 100. mutuo accipere ſolet, teſte Fauſt. *in Conſ. pro Ær. Claſſ. XIX. ord. 1521.* Huic ſuccedit proximè (2.) pecunia infecta, aurum & argentum non ſignatum; exempla ejusmodi Mutui P. paſſim ſunt obvia. (3.) Mundus muliebris; exemplum eſt in Epheſiis & in Dionyſio Syracuſano Tyranno apud Ariſt. 2. *Oecon.* Ita Matronæ olim Romanæ, referente Liv. *lib. 5. c. 25.* ex communi decreto pollicitæ tribunis militum aurum & omnia ornamenta ſua in ærarium detulerunt. Item (4.) aliæ ſpecies, ut; oleum, frumentum, vinum &c. Item panes, carnes, piſces, ſi appendantur aut numerentur; quomodo Hirtzius Cæſari duo millia murænarum mutua dedit in pondus, cænis triumphalibus, teſte Varron. *de R. R. lib. 3. c. ult.* Macrob. *ſaturn. lib. 2. c. 55.* conf. C. I. A. *ad π. de Reb. Cr. b. 13.* Atque res hæ *vel immediatè* in Reip. uſus neceſſarios adhibentur, & proximè ſunt in Mutuo; *vel mediatè*, ad comparandam tantùm pecuniam; & ſic *vel* utrumque proximè & immediate eſt in Mutuo, ſi res ita data & accepta fuit; *vel* pecunia tantum, ex re alia redacta *l. 11. π. de Reb. Cr. l. 34. π. Mandat.* id quod exemplo Selybrianorum & Clazomeniorum apud Ariſt. 2. *Oecon.* illuſtrari poteſt. unde hic quoque cohæret exemplum Byſan-

Objectum Mutui P. *vel generale*

vel ſpeciale

1.

2.

3.

4.

Byſantiorum apud eund. *Ariſt. d. l.* nec non illud, quando in pecuniæ inopia ſubditi à ſuperiore jubentur res & ſupellectilem ſuam vendere, ut pecuniam inde redactam Reip. credant, exemplo Mendæorum & Regis Antiſſæi apud Ariſt. *d. l.* aut ſi ipſa ſupellex in eundem finem ſubditis aufertur. Ita (5.) Clazomenii ſtipendia militibus à ſe debita, quæ ſolvere non poterant, mutuo quaſi retinuerunt, ſoluto interim ducibus fœnore annuo, donec modus ea ſolvendi ſuppeteret. Ariſt. *d. l.* Denique (6.) aurum & argentum ſacrum & Deo dicatum quoque mutuo à Superiore ſumi poteſt; exemplo Heraclii Imperatoris, referente *Cuſpinian.* idque ex ratione quam Grotius habet *d. l. B & P. III*, 5, 2. *&c.* 5. 6.

§. 68. Forma Mutui P. *alia* comunis, *alia* ſingulis ſpeciebus propria. Utraque *vel* Eſſentialis *vel* Accidentalis. *Communis* eſſentialis eſt *vel Generica*, quam communem cum aliis factis & contractibus, quæ Mutuum Publicum non ſunt, quantumvis ſunt Mutuum, communem habuit; *vel Specifica*, qua Mutuum hoc, Publicum eſt diſtinctumque ab aliis; ſed quæ communis ſimul ſingulis ſuis ſpeciebus quas ſuperius attulimus. Per *illam* Mutuum P. eſt factum quoddam ſeu contractus, quo res fungibilis datur & accipitur hac lege, ut in genere reſtituatur; quibus autem requiſitis hæc forma abſolvatur, docet Dn. Meier. *in C. I. A. de Reb. Cr. §. 14. ſeqq.* Per *hanc* eſt Contractus ſeu factum tale, quo ſumma Civitatis poteſtas rem fungibilem ad Reip. indigentiam & neceſſitates propellendas mutuo rogat, accipit, ſumitque, quam ſuperius jam expoſuimus, ſuiſque ſubjectis ſpeciebus aptavimus. Circa formam *genericam* quærendum hic; *Num Mutuum P. ſit contractus nominatus?* Certe non eſt nominatus, in ſenſu juris civilis, quare & Grotius naturam ſequens, Mutuum omne ad Genus contractuum, *Dout des*, refert, *de l. B & P. II*, 12, 3. *verſ.* 4. attamen non omnino indiſtinctè hic ſentimus. Deinde, *num ſit contractus ſtricti Juris, qualis Mutuum privatum communiter habetur?* Reſpondemus, hic pro contractu Bonæ fidei vid. Gail. 2. *O.* 55. *n.* 7. Andr. ab Exea *de pact. n.* 407. Non obſtat, Principem in contractibus uti debere jure privato.

Formæ Mutui P. diſtinctio.
Communis eſſentialis quid & quotuplex?
Qq. ad formam Gen. ſpectantes.
1. *Num M. P. ſit Contractus nominatus?*
2. *Num ſtricti Iuris?*

§. 69. Communem hanc Mutui P. formam excipit omnium actuum

Mutui P. forma omnium

Communissima, quæ est Iustitia.

actuum communissima, quâ omnium hominum, præsertim Principum, acta & facta splendere debent; quæ est *Justitia*, seu *conformitas* illorum cum legibus divinis, Naturæ & humanis, quam hic per theses nostras deductum & ostensum ituri. Et certe in specie Mutuum imperatum coactum justissimè esse introductum, Dd. defendunt ex Bobadilla *lib. 5. pol. c. 5. per tot.* Ludov. Molin. *tom. 3. p. 1. de Just. & Jur. disp. 315. pr.* & Vasq. *in locc. supra citt.* Nec obstat, quod hoc casu creditor quasi vim ac rapinæ injuriam quandam patiatur; ob quam etiam causam in Mutuo hoc creditorem licitè petere posse usuras, Dd. admittunt arg. *c. constitutus. X. de Fide jus.* Gail. *lib. 2. Obs. 5. n. 17.* Quali autem responsione hæc sint diluenda, ex supra dictis in causa Effic. colligi potest. Num etiam necessitatis ratione sola illud satis superque à Dd. defendatur? cujus ingens apud ipsos autoritas & tantus justitiæ favor est, ut simpliciter quidam putent, justissimum esse, quidquid necessarium. Bodin. *lib. 6. de Rep. c. 7. n. 654.* quam & vim solvendi legem, legemque nullam habere, dicunt. Gail. *l. O. 102. n. 8. & 2. O. 56. n. 4.* id partim præcedentia partim subsequentia, quæ Mutui P. justitiam ex omnibus ejus causis & circumstantiis dependere volunt, moderant.

Num necessitas actum simpliciter faciat justum.

Forma Speciebus M. P. propria & essentialis. Quænam propria & specifica Mutui Imperati? Mutuum Imp. species Onerum & tributorū, sed extraordin.

§. 70. Quæ porro Forma Mutui P. cuique speciei *propria* eaque *essentialis* & *specifica* sit, ex definitione cuique speciei superius assignata, haberi potest. Ea tamen, quæ *Mutuo imperato* propria, aliquam hic considerationem meretur. Habet autem hæc Mutui species non tantum communi naturæ superadditum, esse imperatum & jussum; sed & hoc ipso participat aliquo modo de natura onerum ac tributorum, sicque speciem inter illa analogam, quæ inæqualiter communi tributorum naturæ subest, constituit. Hinc à Doctoribus altero respectu speciebus contractuum, altero verò rectè oneribus & tributis quasi talibus accensetur; & quidem extraordinariis, quia certam ac determinatam præstationem ex lege civitatis non habet, *l. rescripto. § fin. π. de Mun. & Hon. l. ult. C. de Mun. Patr. l. un. C. de vacat. Mun. publ. & ll. par all.* conf. C. I. A. *ad π. de Cens. 9. 22. de Collect.* sed novis Reip. necessitatibus & utilitatibus emergentibus, deficientibus etiam aut non sufficientibus aliis ordinariis pariter ac extraordinariis Veris, cum festinanter ac velociter, uti supra docuimus, auxilio opus est, indicitur,

Ratio.

dicitur, atque ab invitis civibus aufertur. Perez. *ad Cod. de super-ind. n. 5.* Bornit. *de Ær. lib. 6. c. 1. & 5. lib. 4. c. 4.* qua propter etiam à Bodin. *lib. 6. de Rep. c. 2. n. 654.* Tributum *temerarium* nominatur; add. Buleng. *de V. P. R. c. 11.* Bornitius etiam pro tributo extraordinario rationem hanc assignat, quod ærarium conficiat ac ditet cum dispendio *lib. 7. de Ær. c. 1.* habito scil. respectu ad usuras, creditoribus civibus pro Mutuo hoc solvendas.

§. 71. Hoc igitur Mutuum onerum ac tributorum numero ac nomine contineri, apparet (1.) ex muneris, quod onus *l. 18. π. de V. S.* definitione in *l. 214. π. de V. S.* add. *l. 14. §. 1. π. de Mun. & Hon.* (2.) ex eo, quod sumptu patrimonii expediatur, ac detrimentum nec exiguum quandoque illi inferat; quod forma est onerum realium seu patrimonialium. *l. 1. §. 3. l. 18. §. 18. π. de Mun. & Hon.* unde in specie tributis & collectis accensendum est. Non obstat, quod res mutui nomine in publicum collata cum fœnore etiam sit restituenda; quodque jure N. & civili patrimonio & bonis nostris haud decessisse putandum sit, quod nobis debetur & ad quod actionem habemus. *l. 49 π. de V. S. cum ll. parall.* Vix enim ostendi potest, non aliqua ratione Mutuum imperatum patrimonio conferentis esse detrimentosum, cum nec usuræ à Rep. cuique semper pro ratione emergentis damni & cessantis lucri; sed pro conditione tantum Reip. atque civium præstentur. Quid igitur, si planè absque usuris, aut eo, quod interest (quod licere, infra docebimus) Mutui restitutio fiat; aut si qui soli è civibus Mutui impendio privato publicæ necessitatis onus sustinere teneantur, ceu hoc de Jacobo Duglassio Mortonio refert Buchanan. *in histor. scot. lib. 19. p. m. 670.* Et quali non diminutione ac detrimento patrimonii sui gravatus est civis Venetus *tùm*, cum Resp. summo necessitatis casu illi imperat, ut tertiam bonorum partem vendendo in pecuniam redigat, eamque Mutui nomine etiam absque usuris Reip. subministret? Faust. *in cons. pro Ær. Class. XIX. ord. 1521.* aut *tùm*, cum pertinaciter mutuo reluctantis bona tàm mobilia quàm immobilia sub hasta venduntur? Contaren. *lib. 4. de Rep. Ven. p. 210.* Relat. *de Ær. Ven. p. 324.* Testatur etiam Contaren. *d. l. p. m. 207.* expressis verbis, quod collatitiâ ex censu pecuniâ res civium familiaris magna ex parte imminuatur. Oneris etiam ratio (3.) ex eo

Probatur, quod sit tributi species,
1.
2.
3.

apparere poteſt, quod Mutui hujus quantum longè præponderare ſolet quoto tributorum. Et licèt reſtitutionis & uſurarum lege collatio ejus levior tributis fiat & temperetur; tantum tamen abeſt, ut oneris ratio ubique circa illud tolli aut in animis civium, qui maximam partem in publicum collatam pecuniam vel planè amiſſam credunt, vel majori cum lucro ſe illa uti potuiſſe, ingemiſcunt, demi poſſit. Facit denique (4.) quod ſurrogatum ſapiat naturam ſui ſurrogati, arg. *l.* 10. §. 2. *π. ſi quis caut.* Jam Mutuum Imperatum in locum & jus tributorum vocari ſolet; imprimis ratione cauſæ finalis ut ærario & ſaluti publicæ ſubveniatur; E.

4.

Conſequens naturæ tributariæ in Mutuo Imp.

§. 72. Ob hanc itaque cognationem, quam Mutuum imperatum cum oneribus ac tributis, iisque extraordinariis habet, omnia quoque, quantum poſſibile, in eo ut concurrant, requirimus, quæ alias juſtitia & æquitas in tributis efflagitat. Sunt autem illa in triplici ordine; *vel* enim Tributa antecedere, *vel* ipſis in eſſe illaq; comitari, *vel* ſequi debent. E quibus hic illa ſaltem deliberanda, quæ tributis ineſſe eaque comitari debent. Ita (1.) tributis, ceu forma, ineſſe requiritur, ut quotum illorum non tantum cauſæ publicæ; ſed etiam viribus facultatum ſubditorum ſit æquale & commenſuratum; quare idem ut in Mutuo imperando obſervetur, neceſſe eſt; ut nempe illud pro ratione neceſſitatis publicæ & cenſu cujuslibet, quantum poſſibile & neceſſarium, civibus imponatur. Hinc tradunt etiam Dd. ſi Reſp. pecunia caret pro uſu annonæ & frumentorum emptione, omnes cogi debere ad mutuandum pro modo fortunarum. Jacob. Anton. Marth. *tr. de Jurisd. p. 4. cent. 1. c. 2. n. 2. per text. in l.* 1. Gloſſ. Bart. & reliqui Dd. *in Cod. ut nem. lic. in empt. ſpec.* Hoc item obſervat Reſp. Veneta, quæ, teſte Contaren. *d. l.* 4. *p. m.* 206 Mutuam pecuniam civibus pro cujusque cenſu imperare ſolet; unde ab eodem Mutuum hoc ſpeciali nomine *pecunia ex cauſa civibus conferenda*; item, *collatitia ex cenſu pecunia* vocatur *d. l.* Ita ſolet quandoque Reſp. Veneta ſtatuere, ut cives tertiam partem bonorum in pecuniam redigant eamque Reip. mutuò concedant. Id circo nec eſt, cur aliquem civium tumultum ex hoc exactionis genere metuat Reſp. quia nihil fere eſt, quod tranquillitatem in Rep. magis ſtabiliat, quam æqualitas in tributis obſervata. Lipſ. 4. *polit. c.* 11. *p. m.* 204. *ſeqq.*

Fauſt.

Fauſt. *in Conſ. pro Ær. Claſſ. XX. ord.* 1631. ad quam tamen rem eò facilius & felicius expediendam Reſp. ac Princeps civium ſuorum cenſum exploratum & cognitum habere debet, de quo Iliada hic poſt Homerum ſcriberemus. Diximus, quantum hæc æqualis portionum diſtributio poſſibilis & neceſſaria eſt ; quoniam non ubique hanc diſtributionis æqualitatem in mutuo ſtatui neceſſarium, ſecundum ea, quæ in cauſa ſubjectiva, & alibi ſupra explanavimus. Ita (II.) tributis ineſſe requirunt Dd. ut exigantur ex rebus ſuperfluis & iis, quibus cives facile carere poſſunt ; ex rebus verò civium conditioni & vitæ neceſſariis, non niſi urgente ſumma neceſſitate: quo ipſo etiam Mutuum maxime juſtum ac habile ſuum ſubjectum, ſcil. divites, afficiet. Hinc illud *ante omnia* cogendum ex pecunia otioſa ; ex aurea & argentea ſupellectili ; ex veſtium ornamentis mundoque muliebri; ex ſumptibus & apparatibus factis in Bacchanalia aliasque lautitias, exemplo Regis Antiſſæi apud Ariſt. 2. *Oecon. Poſt deinde* ex rebus aliàs neceſſariis, ſed quibus cives abundant. Et *deniq;* imponendum eſt rebus, quibus cives vix carere poſſunt, ſi & deficiente omni alio ſubſidio, in ſumma neceſſitate Reſp. iis opus habeat.

Non tamen per omnia eſt verum Tributum,

§. 73. Utut autem Mutuum Imperatum prædicto modo de onerum ac tributorum natura participet, & ſic plurima cum ipſis merito communia habeat, notabili tamen differentia ab ipſis viciſſim cum eſſentialiter tum accidentaliter disjungitur & diſtinguit. Eſſentialis conſiſtit in lege Mutui, quâ res & pecunia mutui nomine à ſubditis exacta, quandoque cum uſuris legitimis, eſt reſtituenda; cum è contrario ex cauſa tributorum nihil quicquam, niſi quod ſuperexactum, ſubditis refundi neceſſe ſit, uti paſſim Dd. docent. Hinc verum tributum & Collecta per omnia cenſeri nequit ; ſed merito hoc reſpectu nomine *Quaſi Tributi & Vectigalis* à Dd. inſignitur, vid. Bornit. *lib.* 4. *de Ær. c.* 4. *& lib.* 7. *c.* 1. *& lib.* 6. *c.* 1. Et quamvis interdum in Rep. Veneta, quando illa mutuum imperat, nulla mentio habeatur neque de reſtituendo ære alieno, nec de aliquo emolumento civibus erogando ; tacitè tamen ſemper involvitur hæc lex, & utrumque in commoditatem Reip. tùm collatum habetur, teſte Contaren. *lib.* 4. *de Rep. Ven. p.* 206. *&* 207.

unde Qs. Tributum ſeu Vectigal dicitur.

Ratio, cur Mutuum P. commodius tributu?

§. 74. In hac etiam mutui forma & differentia includitur ratio, cur Mutuum Imperatum, quod quantum tributorum longè superare solet, commodius, præsentius, securius ac respectu subditorum levius remediũ ad Reip. necessitates depellendas utilitatesq; ejus promovendas, quàm ipsa tributa Doctoribus audiatur, videatur & meritò dicatur? Quidquid enim dari & grave ratione tùm ingentis quantitatis, tùm subitę præstationis in se continet, id in animis civium lege & obligatione restituendi sortem vel absque vel cum usuris; ut & spe gratiam à Rep. recipiendi mirè attemperatur & leniri solet; ita tamen ut non omnis planè oneris exsors sit dicendum. Reputare enim non sine ratione possunt cives, se, quod contulerunt, in bonis suis adhuc habere; quod sanè tributorum ratione, qua nulla quicquam repetendi spes relinquitur, expediri nequit, & tantò acerbiora hæc fierent, si in *eadem mutui quantitate* irrogarentur. Hinc Bodinus, cujus verba reliqui ferè Dd. & Politici omnes ex ore ejus mutuati sunt, *lib. 6. de Rep. c. 2. n. 654.* ait; *commodius esse mutuas à subditis pecunias accipere, quam illos onerare tributis: quæ ratio cum difficultates, quæ in cogendis tributis esse solent, expediat, tum etiam facilius reddit Mutuum eorum, qui & fœnus & sortem sibi & gratiam à Rep. reddi sperant.* Itaque Romani

Mutui commoditatis exempla.

secundo bello Punico pecuniam mutuo à civibus sumere maluerunt, quam tributum iis imperare. Liv. *lib. 26. c. 36.* Ipsi enim tum experti sunt, *nihil prementibus hostibus, tam periculosum esse, quam nova tributa subditis aut sociis imperare.* Hanc mutui commoditatem persensit etiam Gelon Syracusanus, qui, cum pecuniam à civibus suis Syracusanis exigeret, & id circo tumultuantes cives videret, ait. *se petere mutuo, quippe redditurum.* Sic volentes dederunt, atque per acto bello reddidit. Difficultas autem, quæ in tributis animos civium exacerbat, hæc plerumque etiam esse solet, quod subditi Tributa sibi difficillimo belli tempore imperata, confecto bello continuari sæpe videant. Est enim, inquit Bodin. *d. l.* illud inter arcana veterum tyrannorum nimis contritum, belli occasionis conquirere, ut tributis subditos etiam bello confecto urgeant. add. Boter. *in Polit. illustr. lib. 7. c. 5. edit. germ.* quod est verbotenus apud Faust. *ord. 1045. in consil. pro Ær. Class. XIV.*

Altera ratio, qua

§. 75. Ulterius mutuum Imperatum à tributis distinguitur, tùm

tùm ratione quantitatis, quæ ex illo in longe majori portione pro rata ad quemlibet civium decurrit, quàm ex causa tributorum, quæ per partes & *tributim*, h.e. *minutim* cuilibet admensurantur Lipſ. 4. *pol. c.* 11. *p. m.* 201. *tùm* ratione ſubjecti, cui imperatur; tantò magis enim Mutuum à tributorum natura receſſiſſe putandum eſt, ſi unus aut alter tantùm, aut paucior civium numerus ſolus Reip. onus ſuſtinere juſſus eſt. Nec magis ſuperior, quam hæc imprimis ratio, quod ex mutuo major pecuniæ ſumma à civibus haberi poſſit, ſuadet, ut illud tributis in ſubitis & periculoſis Reip. caſibus ſubſtituatur, ſi quando ingenti ſumma Reip. neceſſaria, nec illa citò ſatis, nec tutò permodum tributi cogi queat. Alias tributa, ſi æquè commodè haberi poſſunt, Reip. conſultioria ſunt, quàm æs alienum.

Mut. P. à tributis differt.

§. 76. Eſſentialem formam excipit *Accidentalis*, quæ multifaria eſſe poteſt, atque Mutuo P. ejusque ſpeciebus *vel* à modo rem mutuo ſumendi, & accipiendi, *vel* ab adjunctis, Uſuris ſcil. loco & tempore &c. advenire ſoler. Quæ à modo contrahendi venit, reſpicit (1.) *ſtipulationem & pacta alia*, ſub quibus Mutuum nõ tàm publicum, quam privatum. (de quo vid. C. I. A. *ad π. de Reb. Cr.* ϑ. 18. & 20.) contrahi ſolet. Ita pacto agi poteſt, ut aliud pro alio in mutuo ſolvatur, vinum, oleum, frumentum &c. pro pecunia, & hæc viciſſim pro aliis ſpeciebus, *l.* 10. *C. ſi cert. pet.* Item, ut plus minuſve nec non uſuræ debeantur in Mutuo Publico, ratione ducta ex iis, quæ habet Grotius *de I. B & P. II*, 11, 1. *ſeqq.* (2.) *Oppignorationes*, quæ ſua natura cuique obligationi acceſſoriæ ſunt, *l.* 13. *pr. π. de Cond. Indeb. l.* 5. *pr. π. de pign.* ac potiſſimum in Mutuo deſiderantur & faciendæ ſunt, cum ad crediti ſecuritatem totæ ſint inventæ §. 4. *Inſt. quib. mod r. contr. obl.* Has autem imprimis in mutuo publico, eſſe neceſſarias, experti ſunt, Carolus IIX. Rex Galliæ, in expeditione ſua Neapolitana; Carolus item V. Imp. & Philippus II. Reges Hiſp. in Mutuo quod à mercatoribus Genuenſibus acceperunt; quibus prædia publica vectigaliaque Neapolirani ac Mediolanenſis agri oppignorarunt. Bodin. *de Rep. lib.* 6. *c.* 2. *p.* 1044. Ita ipſum S. Petri patrimonium, quod vocant, onere hypothecæ multiplici eſt oneratum; *De ſuoi ſtati il Papa non ha molte entrate, & quelle che ſoleva havere, ſono tutte impegnate ò obligate*; quamvis de Papa vulgo

Forma Mut. P. Accidentalis adVenit vel à modo ineundi, qui reſpicit 1. ſtipulationem & pacta alia.

2 Oppignorationes.

harum Exempla.

dicatur: *che non luy mancano mai denari, quando non manca la mano & la penna.* Thesor.polit. *part.1.relat.di Rom.fol.31.* De aliis oppignorationibus, quas Pontifices in montibus Pietatis constituerunt, videsis Tholos. *de Rep. lib.XIII. c.16.n.11.seqq.* Dn.Elychn. Gottlieb/ qui est Theophilus Dachsler/ *de Mont.piet.Rom.lib.2.c.2.* aliosque. Ut plurimum autem vectigalia & reditus ex frumento, vino, oleo, sale aut aliis rebus alicujus civitatis pignori solent supponi, hac lege, ut interim emolumento eorum, in certa quantitate, pro centum constituta, creditores fruerentur, quemadmodum id de Rep. Veneta Contaren. *lib.4.p.207.seqq.* & de Genuensibus, Autor *Commentar. de Princip. Ital. III. de Genuensium Rep.p.m.175.* testatur; aliis exemplis hic omissis.

Oppignorantur Vectigalia & reditus.

3. *Fidejussiones.* §. 77. (3.) *Fidejussiones*; quæ itidem in Mutuo P. uti in privato, in securitatem crediti accedere solent. *l.26. & ult. π. de Reb. Cr.* Exemplo est Mutuum Caroli IIX, Regis Galliæ, quod ipse ad expediendum bellum Neapolit. à mercatore quodam Genuensi ad quinqnaginta aureornm millia accepit, pendente illam pecuniam occultè Ludovico, in quo interpositi sunt fidejussores, qui eam redderent mercatori; inter quos & ipse fuit Comminæus, pro sex millibus spondens; teste eodem Commin. *lib.1.de Bell.Neapol.p.m.463.seq. et d.l.p.469.* idem Comm. refert, Thomam Portunæum, quendam ex procuratoribus & Negotiorum gestoribus Petri Medices, (cujus familia tùm temporis Mercatorum totius orbis terrarum, judicio Comminæi longe & amplissima & celeberrima fuit) apud Carolum Burgundiæ Ducem Eduardi Regis Angliæ fuisse fidejussorem pro quinquaginta auteorum millibus & eo amplius.

harum exempla.

4. *Honorũ & Privilegiorũ concessiones.* §. 78. (4.) Varias *honorum & privilegiorum* promissiones, quarum etiam supra in Causa impellente aliqua facta mentio,

5. *Scripturam.* (5.) *Scripturam*, in qua Mutuum P. æquè ac privatum iniri solet; eaque vel Syngrapha vel Chirographum est. Aliquando etiam de jam inito Mutui contractu instrumenta conficiuntur. Quæ omnia scripturæ genera ipsum Mutui contractum cum suis pactis adjectis, die item, loco, tempore, modoque solutionis, pro lubitu contrahentium & Imperantium expressis & designatis, continent. Ita Resp. Veneta civibus pro cujusque rato literalem obligationem tradere

tradere solet, in qua tempus solutionis & quantitas usurarum quandoque denominantur. Faust. *in Cons. pro Ær. Class. XIX. ord.* 1521. Et alia aliarum civitatum exempla prostant. Disquiri hic meretur: *num omnis literalis obligatio ex solis literis, an ex præsumpto quodam mutuo vel credito substantiam ac vires habeat?* Sicut autem de Jure Civili illud affirmamus; hoc verò negamus, per ea quæ habet Dn. Strauch. *Diss. Justin. XIV. aph.* 20. *seqq.* Ita in literali obligatione Imperantium, quorum actus ultimò Jus N. & gentium examinat, contrarium tenemus, eamque absque mutuo præsumpto & accepto invalidam meritò judicamus, per ea quæ docet Grot. *de I. B & P. II*, 14, 6. *& c. 16. n.* 30. Desiderantur tamen hic evidentissimæ probationes contra ἀπολογεφίαν, quæ semper de facto scribentis testatur. arg. §. 11. *Inst. de Inut. Stip.* §. *ult. Inst. de Fide jus.* Q.

§. 79. Deinde nihil fere frequentius Mutuo P. accidere solet, quam ut *Usuræ* ei adjiciantur. Ut ut autem Dd. de natura Mutui in genere esse dicant, ut sit gratuitum; qua propter etiam de Jure Civili Usuræ in mutuo non nisi nova obligatione, stipulatione scil. debentur, *l.* 11. §. 1. *π. de Reb. Cr. l.* 121. *π. de V. S.* Nihilominus illas in Mutuo tùm jure N. tùm Gentium licitas esse pronunciamus, ut & exigi quandoque in hypothesi possint, etsi non sint promissæ; quod sequitur Recess. I. *de A.* 1600. §. 152. So viel nun. & usus hodiernus, Struv. *in Synt. Ex. XXVII. θ.* 49. Intelligimus autem h. l. Usuras strictè acceptas, non quatenus id, quod revera inter est, sæpissimè significant; uti etiam nomine, *ejus quod inter est*, morsus usurarum quandoque contegitur ac velatur; sed quatenus notant accessionem quantitatis, principaliter debitæ, propter ejus usum solvendam, etiam in eo, quando verum interesse excedit, & merum lucrum dicitur, consistentem. Quicunque enim re nostra utitur, sibique exinde lucrum, quod penes nos nondum est, comparat, is nobiscum illud lucrum, si volumus, communicare naturaliter tenetur: Hoc enim ipso, non tantùm sibi, sed & nobis rem nostram simul lucrosam reddidisse intelligitur, ut prooterea æquum sit, nos simul cum isto de fructu & lucro rei nostræ participare; vid. Dn. Ziegler. *in Diss. de Mohatr. Contr. §. 8.* eo tamen modo & in ea quantitate, ne alter lucri spe & opera, quam adhibuit, de fraudetur; contra quod iniqui fœneratores

Vel ab Adiunctis scil. Usurâ.

Usuræ jure N. licitæ sunt,

sed in qua acceptione,

& quomodo?

tota

tota die nituntur & peccant. Unde simul patet, quinam subjectum justum solvendarum usurarum dicendi sint? non certè pauperes & ii, qui pecunia aut re nostra suis tantum vitæ necessitatibus consulunt, quos etiam divites cum damno suo, modo de cætero à futura indigentia satis tuti sint, sublevare tenentur; quo spectat illud Christi *Luc. VI*, 34. & 35. ἡ δανείζετε, μηδὲν ἀπελπίζοντες. Est igitur in Mutuo cum pauperibus & indigentibus non tàm justè *ex æqualitate*, quam liberaliter *ex æquitate* agendum. Dn. Albert. *in comp. J. N. part. II. c. 9.* § 18. & 19.

Applicatio hujus ad Remp. inopia pressam.

§. 80. Ex his nunc haud difficile colligi potest, quas nam usuras & quod interesse creditor dives, sive publicus sive privatus fuerit, ab indigente Rep. quæ re & pecunia, mutuo accepta, in necessitatibus suis ad sui conservationem unicè utitur, petere aut cum ea paciscì possit? Nisi undique periculis liberata feliciore jam statu frui ceperit; quo casu creditori petenti id, quod revera interest, sive promissum sive non promissum fuerit, denegari nequit.

Usuræ & id, quod interest, imprimis in Mut. Imper. & Compuls. sunt licita.

§. 81. Non igitur pro usuris aut modico lucro & eo, quod interest, in Mutuo imperato & compulso asserendis, eo devenire necesse habemus, ut cum Vasquio *de succeff. creat. lib. I. §. 6. n. 20, 21 & 22.* Abb. *in c. in civit. in fin. de Usur.* & *in Consil. 64. vol. 4. versatem salvo &c.* aliisque à Cacher. *Decis. Pedemont. 95. n. 7. & 8.* citatis, jurique canonico, usuras in mutuo regulariter prohibenti, adhærentibus, statuamus; Mutua illa veri Mutui contractus non esse, ut propterea usuræ in illis licitæ sint. Et certè si unquam in mutuo præstandæ veniant usuræ & id, quod interest, id imprimis in mutuo Imperato & compulso justum esse videtur, præsertim, si è civibus unus aut pauci ad mutuum conferendum soli electi & coacti; & tanto magis, si extranei ad id præstandum compulsi sunt. Hinc, quia creditor, quasi vim ac injuriæ rapinam quandam patitur, cum invitus & compulsus mutuat, neque ad mutuandum, præconcepta spe usuræ alicujus percipiendæ, movetur, Dd. etiam communiter & secundum jus Canonicum in hoc Mutuo licitas esse usuras statuunt. Gail. 2. *O. 5. n.* 17. Sed & hæc ratio hic licitas reddit usuras, ne unius aut paucorum damno causa salutis publicæ, quæ ad omnes spectat, procurata contra naturam dicatur. *l.* 206. *π. de R. I. arg. c. quod omnes. 29. de R. I. in 6.* Sed quamvis Vasquius *d. l.* ex facto

etiam de Iur. Can. sec. comm. Dd. sententiam.

interro-

interrogatus hanc pro usuris in hoc mutuo sententiam pronunciavit, attamen rem Cæsaris agentibus aliter visum fuisse nullasque usuras persolvisse Vasq *ibid.* refert: quæ autem ratio illos moverit, sibi quoque in comperto non esse, ait. Putat etiam Cacher. *d.l.n.*50. cum Ripa *in tr. de Pest. in tit. de Rem. præservat. contra pest. §. accedo. n.*185. & aliis, à se ibidem allegatis; omne mutuum imperatum, sicut omne aliud, debere esse gratuitum, & justè cives usuras pro illo petere non posse.

§. 82. Quâ autem in quantitate Usuræ & id, quod interest, in Mutuo P. sint præstanda, in thesi hic dfiniri vix potest; cum propter varietatem rerum, temporis & loci circumstantias modo major modo minor statuenda sit. De jure tamen Recess. Imp. regulariter quincunces in mutuo probantur. *de A.*1600. §.152. So viel nun. & *R.I.* zu Regenspurg. *de A.*1654. §. anreichend. 174. Interim ex historicorum & Politicorum monumentis observare licet, in Mutuo P. usuras sub variis quantitatibus à variis persolutas esse. Veneti pro Reip. commoditate ac Creditorum qualitate & conditione usurarum quantitatem prudenter satis mensi sunt. vid. Contar. *de Rep. Ven. lib.*4. *p.*207. *seqq.* Relat. *de Potent. & ærar. Ven. p.*324. Don. Janott. *à Megiss. vers. p.*259. *seqq.* Quantas verò Pontifices Rom. in montibus suis Pietatis quoquo tempore exolverunt, recensent Tholos. *de Rep.* Elychn. Gottlieb. *supra dd. locc.* & alii, qui de montibus Pietatis tractatus ediderunt. Quare Pontificum exemplo, qui gravissimas quandoque usuras in montibus, quos tamen à pietate dictos voluerunt, præstare solent, proprium illorum Jus, usuras in mutuo damnans, negligendum ac rejiciendum esset; qui tamen illo Glossæ, quod habet *in fin. ad c. debitores. X. de jure jur.* satis excusari videntur; quod non peccet is, qui dat, sed qui accipit usuras, præsertim si quis necessitate inopiæ compulsus mutuum sub fœnore accipit. Mirum autem illud, quod Canonistæ Usurarum iniquitatem vocabulis lenire quærant; eamque tolli putent, si eas *emolumentum, fructus* & *reditus annuos* vocaverint. vid. Tholos. *de Rep. lib. XIII. c.*16. *n.*10. *cum seqq.* add. *n.*27 & 28.

Qua in quantitate usura & interesse sint præstanda?

Exemplo Pontificum probantur usuræ.

§. 83. Memorandum hic etiam, quod Bodin. de Francisco I. Henrico II. Galliæ regibus, de Carolo V. Imp. de Philippo II. filio ejus, ut & de Henrico IIX, Angliæ Rege refert; imprimis illud, quod

Exempla variæ usurarū quantitatis

quod Henricus Galliæ Rex tandem ducentissimas usuras pactus sit; imo factus non solvendo usurarum usuras creditoribus promiserit. Scil. deceptus erat Henricus opinionis errore; cum enim tum temporis Carolus V. & filius ejus Philippus; Henricus item IIX. & antea Pater Henrici II. sibi persuaderent, posse quemlibet usurarum illecebris gentium opes ad se brevi pertrahere hostibusque eripere; ipse Henricus majorem vim pecuniarum se coacturum sperabat, si graviores cæteris usuras creditoribus solveret; Sed prudentissimus quisque futurum perspiciebat, ut, cum brevi pecunia Regem, tam gravi fœnore obæratum, post etiam fides defecisset, creditores unà cum usuris sortem amitterent. Hinc, mortuo Henrico Rege, Creditores tàm exteri, quàm subditi querelis omnia compleverunt, & nullis temporibus graviores in Gallia tumultus aut plures civitatum defectiones extiterunt: ærarii verò tanta fuit inopia, ut Henricus moriens plura deberet, quam sui majores annis quadraginta à subditis exegissent, teste Bodin. *de Rep. lib.6.n.666.p.1042.seqq.* ubi pluribus æris hujus alieni Henrici Regis rationem init.

Henrici II. Reg. Gall. imprudens Mutui acceptio usurarumque promissio.

§. 84. Cum igitur varia & gravia damna Remp. ex mutuo & fœnore maneant & exinde quasi fatalis malorum series in eane-ctatur, quorum etiam ingentia à modo memoratis Regibus in Respubl. suas invecta sunt; ideò Dd. agmine quasi facto, uno ore, Mutui remedium à Rep. abesse jubent, & *nihil Reip. exitiosius esse, quam à Mutuo aut fœnore bella aliamq; Reip. administrationem auspicari*, asseverant. Quod idem exemplo Lacedæmoniorum docent, & Comminæus exitiosum belli Neapolitani eventum, quod Carolus IIX. à mutuo & fœnore auspicabatur, futurum credidit, *nisi Deus*, ut ait, *rem gubernasset*; postquam usura ejus saltem pecuniæ, quam Rex Genuæ mutuatus est, intra menses quatuor ad septem aureorum millia crevisset, *lib.1.de Bell. Neap.p.m.463.* Quare etiam Bodinus, qui modo mutuum commodius & securius tributis remedium Rebusp. commendavit, nunc illud planè execratur, inquiens: *Qui pecuniam sub usuris Reip. nomine accipiunt, nè illi ararij ac civitatis eversionem moliuntur. p.1041.* & *p.1045.* ait; *nihil* (mutuo scil. usurario) *in Remp. pernicioſius cogitari potest: quoniam alterutrum necesse est, aut ærarium diruere ac publicas opes evertere. si usuræ*

Mutuum P. usurariũ Rebusp. damnosum & exitiosum.

à quo abstinendum docent Politici.

dissolvan-

dissolvantur; aut turpiter fidem fallere, ac privatorum bona diripere. add. Scip. Amirat. *lib. 3. discurs. in Tacit. c. 8.* qui summopere suadet, ut Principes sibi caveant, quantum possibile, ab hoc vectigalis genere. Et sanè quam voraces sint usuræ, nemini non obvium est, quantumvis justæ ac modicæ sint. *l. qui habet* 101. *inf. π. de Leg. III. c. 1. de Usur. in 6. c. quanto* 18. *X. eod.* Hanc quoque usurarum voracitatem ipsi Veneti, qui moderatè ac prudenter satis in hoc vectigalis genere versati sunt, aliquoties persenserunt, ceu scriptores rerum Venetar. id abunde testantur. Das also/ inquit, *Faust. in Cons. pro Ær. Class. IX. ord.* 850. diese/ an Ihr selbst billige und rechtmässige manier/ Geld zubekommen/ dennoch so merckliche Gefahr mit sich auf dem Rücken trägt. Sed age! *num ne planè ex his Mutui acceptio imperantibus sit illicita ac prohibita asserenda?* quod & statuendum, si, quod mutuum accipiunt, sibi & Reip. suæ certo pernicioſum fore, nec rationem majoris boni promovendi habere, apertè & probabiliter intellexerint; quia ipsis salutem Reip. quàm optimè procurare incumbit, concutere verò ac destruere minimè licet.

§. 85. At enim verò quis non videt, ex qua pyxide Pandoræ hæc in Remp. mala evolent; quod illa, non ipsi Mutuo, sed imprudentiæ illud tractandi; non ipsis semper Usuris, quarum justitia omnino etiam conservanda, sed excessui illarum & imprudentiæ illas promittendi & solvendi imputanda sint; si scil. nullò habito temporum & necessitatum Reip. nec quantitatis usurarum discrimine temerè ac imprudenter ad æs alienum, sub quacunque usurarum quantitate contrahendum, Reges ac Principes provolvuntur; ut ut nesciatur, unde vel sortis restitutio vel usurarum solutio facienda sit; si & denique pecunia, mutuo accepta, male profundatur, nec in usus debitor. unde aliqua saltem in Remp. utilitas redundet, impendatur. Quod idem Dd. & Politici in mutuo reprobando respexerunt; unde illud non aliter admittunt, quam si omnibus aliis remediis tàm ordinariis quàm extraordinariis, securioribus sc. & ære alieno levioribus, deficientibus, festinanter auxilio opus sit; Platonis enim consilium non tàm privatis quàm Rebusp. hic commendandum est; *ne à vicinis petas aquam, nisi prius domi fœderis usq; ad terram quam Ceramidem vocant, repererisq; non non esse spem venæ.* Plutarch.

Sed limitatur, quatenus imprudenter tractatur, nec modus in usuris promittendis observatur.

Rectus Mutui P. usus cujus Requisita, 1. ut, alibi deficientibus omnibus sig. festinanter auxilio opus, accipiatur.

2. Videndum, ut absq; usuris haberi possit.

§. 86, Deinde videndum, ut Mutuum, quantum possibile, absque usuris & eo, quod interest haberi possit, quod facilius in subditis quam in Extraneis obtinebitur, cum illi etiam gratis Reip. suę indigenti succurrere obstricti sint. Hinc Veneti aliquando nullam in mutuo, à subditis accepto, mentionem & promissionem usurarum, sicuti nec sortis restituendæ, facere solent; sed earum præstationem in tempus, quod Reip. commodum videretur, differunt. Contar. *d.l.* 4. *p.* 206. & 207. add. Bornit. *de Ær. lib.* 6. *c.* 5. Comendatur etiam à Dd. iste modus, quo in necessitatibus etiam absque usuris commodè mutuum haberi queat, si scil. subditis ditioribus injungatur, ut semper in promptu pecuniam habeant aliquam, quâ periculis publicis occurratur. Tutissimi id ærarii loco esse posse, ait Besold. *de Ær. c.* 6. §. 2. *n.* 2. nec usuris Remp. gravare. Itaque singuli Athenienses decimam rerum suarum seu patrimonii partem ad sumptus bellicos seposuerunt. Diog. Laërt. *in Solon.* Hinc etiam hujus occasione Faust. *Claß. XIX. ord.* 1521. rathet/ daß die Obrigkeit den reichen Unterthanen/ wie auch unterhabenden Stifftern/ Klöstern ꝛc. aufferlegen kan und soll/ daß Sie sich jederweilen mit einer anzahl Geldes (auch Früchten) gefaßt halten/ so man auff den Nothfall erheben und gebrauchen kan: darzu dann Jährlich eine unversehene Visitation von nöthen seyn wird. Imò in genere de Mutuo, absque usuris à subditis æque ac exteris habendo, tenendum monitum Boteri quod habet *lib.* 7. *c.* 5. Geld ohne Zinß zu haben/ kan ein Fürst leichtlich erlangen/ wenn er nur seinen Worten und Verheissungen statt gibt/ und auff ermenten termin, die Sachen richtig macht. Id quod exemplo etiam Henrici II. Regis Gall. exercitum suum apud St. Quintain à Cæsareanis fusum, reperaturi, confirmat. Notabilia hic sunt verba Comminæi *aux chron. abbreg. de Charles IIX. chap.* 9. *ie loue bien à un Prince, de tenir bons termes aux marchands & leur tenir verité. Car ils ne sçavent, à quelle heure ils en pourront avoir besoin. Car quelque peu d' argent fait grand service.* Quilibet enim privatorum Principis & Reip. amicitiam gloriosam sibi & tantùm non eo, quod interest, longè gratiorem æstimabit; modo amissionem sortis non experiatur; at si Princeps semel illos fraudaverit, metuent semper idem, eumque destituent.

§. 87. Ter-

§. 87. Tertiò, si nec occasio nec justitia permittat, ut absque usuris pecunia mutua accipiatur, illæ prudenti ratione ita tractandę sunt, ut ne reditus omnes devorent, neque denegatæ & suspensæ vel justitiam lædant, vel animos subditorum exacerbent. Qua in re itidem prudenter & juste satis versati sunt Veneti, qui durante bello haud facile quicquam emolumenti vel usurarum, quas nihilominus currere sinunt, civibus erogare solent, sed eas demum, sive retrò sive præsenter debitæ, anno primo aut secundo à finito bello solvere incipiunt; id quod in monte vetere & novo fieri Megisserus. *ex Don. Janott. p.* 259. refert. Sed quia nec sic ære alieno se satis commodè extricare poterant, ut & reditibus suis publicis aliquando frui possent, tandem SCtum fecerunt; daß allen zukommenden interesse gar urlaub solte gegeben/ und auß dem Hauptgut und damals lauffenden/ doch unbezahltem interesse eine Summa gemacht werden/ daß also ein jeder/ so Geld auff diesem Berg hat ligen/ ein Creditor so wol des Hauptguts/ als des interesse sich sein befindet/ und das so man Jährlich bezahlt und den Creditoren gibt/ wird nicht als eine Frucht-niessung (usura) sondern ein Theil ihres geliehenen Geldes von ihnen eingenommen. Auff diese weise kan sich die Respublic allgemach von den grossen Geld-schulden ledig machen/ und wenn man Jährlich in so beharlicher Abzahlung der Schulden fortsetzet/ kan man in kurtzem grosse Schulden außlöschen. Megisser. *d. l. p.* 260. Bodin. de Rep. *lib.* 6. *c.* 2. *p.* 1041.

3. ut usuræ, si absq; his haberi nequeat, prudenter tractentur; quod fit vel eo, quo Veneti usi sunt, modo.

§. 88. Vel etiam pactis res ita institui potest, ut, quod usurarum erogatio absumere videtur, id retentione sortis eamque lucrando compensari queat. Quare Veneti qui, teste Bodin. *d. l.* cæteris frugiliores videntur, si non admodum urgens causa existit, ut tamen in necessitatibus pecunia præsto sit, ærariumque interim augeatur, pecuniam quandoque à privatis sub trientibus usuris accipiunt, hoc pacto, ne liceat illis sortem recuperare. Quo ipso Mutuum hoc totum in *contractum censualem*, quem vocant *constitutivum personalem* transformatur; id quod jure communi & ubique fere in Italia licere testatur Bodin. *d. l. p.* 1041. fundatur enim in *c.* 1. *&* 2. *de Empt. Vend. Extr. comm.* quo nomine etiam Tholos. *de Rep. lib. XIII. c.* 16. *n.* 9. *&* 10. usurarum præstationem, quam Pontifices in montibus suis faciunt, excusare & defendere conatur.

Vel variis pactis.

Mutuum quando in contractum censualem transformatur.

Sed nihilo magis hunc contractum censiticum in effectu à Mutuo usurario differre putamus cum Fransk. *lib.*1. *Resolut.*1. *n.*54. *seqq.* ubi eleganter quoque natales horum contractum exponit.

§. 89. Aut Veneti accipiunt mutuum sub usuris centesima gravioribus, scil. *sextante*, hoc pacto, ut ad vitam saltem qui dedit, eam usuram percipiat, eo tamen moriente sors ærario cedat. Bodin. *d.l.* Non incongruè etiam hic adduci meretur ille mutuandi modus, quo ordinatur, ut quilibet civium, cui filius aut filia nascitur, certam pecuniæ summam, quam ipse velit, publico inferat, hac lege, ut liberis 18. aut 20. annos natis, sors unà cum usuris 5. aut 6. pro 100. restituatur: quæ pecunia ipsis loco dotis esse poterit. Si verò liberi ante hoc tempus nubile morerentur, universa pecunia ærario cederet, nec quicquam parentibus aut cognatis exinde repetere liceret, nisi defunctorum superstites fratres aut sorores intra eandem ætatem nubilem extiterint, quibus dicta sors cum usuris omnino esset attribuenda. Vulgo dicitur, ein Kind in Wechsel verkauffen. Quem etiam modum egregiè Reip. esse profuturum commendat Dn. Georg. Obrecht. *in pecul. libell.* cui titulum fecit: *Politica ordinatio de var. pecun. summ. in Ærariа liberor. inferendis* ubi etiam pluribus, rationem prudenter istum modum Reip. applicandi examinat.

4. ut non nisi ex causa gravi & gravissima sub usuris gravioribus & gravissimis accipiatur.

§. 90. Denique mutuum, secundum communem Dd. & Politicorum calculum non nisi ex causa gravi, & vix alio, quàm extremo necessitatis casu sub usuris extraordinariis, gravibus scil. & gravissimis, est sumendum. Tum enim Principi, inquit Bodin. *lib.*6. *de Rep. c.*2. *p.*1045. commodum erit ac necessarium mutuam à sociis & subditis pecuniam sub usuris accipere, cum defectiones à se & potentium conjurationes prospicit: *nam extremis periculis extrema remedia sunt quærenda*; quod idem exemplo Eumenis, Agrippæ Regis Judæorum & Eduardi IV. Regis Anglorum illustratum it.

Ab aliis deniq; adjunctis Mutuo P. accedit forma, vel (1.) à tempore.

§. 91. Ultra usuras Mutuo non exigua quoque forma extrinsecus accedere solet, (1.) *à tempore*, quo vel accipitur vel ex conventione restituendum. Quoad *priorem* respectum Veneti montem *alium* vocarunt Veterem, *alium* novum, *alium* novissimum; quo autem tempore quilibet horum institutus & ordinatus fuerit,

rit, refert Megisser. *ex Don. Gianott. p. m.* 258. Quoad *posteriorem*, Pontifices montes instituerunt *alios* Vacabiles Ablößige/*alios* non-Vacabiles, Unablößige sive Beständige oder Ewige/ quos etiam contractus censuales, uti modo dictum, vocaveris. *Alios* fecerunt Novennales, *alios* &c. vid. Tholos. & Elychn. Gottlieb. *supra dd. locc.* (2.) *à loco, vel* eo, quo mutua pecunia reponi solet, atque per metonymiam vocatur *Ærarium* à Bemb. *lib. X. Hist. ven. p.* 411. *Vel* metaphorica locutione, ab illo loco, ex quo propriè aurum & argentum effoditur & eruitur; unde mutuo nomen *mons*, quia per mutuum & ex mutuo tanquam ex monte quodam pecunia conquiri & comparari solet. Ita Barbarico, quem citat Faust. *in Consil. pro Ær. Class. XIX. ord.* 1521. ait: *Habemus montem triplicem &c. ex quibus minori labore, arte & periculo, quam Rex Hispaniarum ex Indiis aurum effodimus.* Conf. *supr.* §. 4. & 7. Et sic tandem ab aliis quoque respectibus externis, quos omnes hic recensere nimis longum foret, Mutuo P. alia & varia forma accedit. *Vel* (2.) *à loco.*

§. 92. Finis Mutui P. justus & adæquatus est *Bonum commune* Civitatis seu *Salus publica*, quam hic non in εὐδαιμονίᾳ tantum, sed & αὐτάρκειᾳ Reip. consistere dicimus. Quoties igitur hæc vel bello vel fame & annonæ charitate vel aliis tùm temporum tùm hominum injuriis concussa fuerit; vel aliæ utilitates in Rep. promovendæ sint; atque ad hanc causam pecuniâ aliisque rebus fungibilibus Resp. indigeat; quatenus etiam festinanter auxilio opus, nec aliunde quicquam expectare liceat; toties ad mutui subsidium summa potestas confugere potest. Sicut & exempla passim, Mutuum ad hos speciales & intermedios fines, imprimis ad bellum pro Reip. tranquillitatis conservatione tùm inferendum, tùm illatum propulsandum, non infrequenter fuisse adhibitum, prostant. *Finis Mutui P. qui?*

§. 93. Quemadmodum igitur Mutui privati finis est, ut succurratur indigentiæ & utilitati privatorum, mutuam pecuniam aut aliud quid rogantium *l.* 4. *pr. l.* 9. §. *ult. l.* 11. *pr. de Reb. Cred. l.* 19. *pr. π. de Præsc. verb.* ita quoque Mutuum publicum ad publicas necessitates propellendas justamque Civitatis αὐτάρκειαν procurandam rogari, accipi & sumi debet. Neque alium hactenus finem Mutuum P. sibi, quam ipsa tributa, præfixum habere putamus; Mu-

Mutuum enim æquè ac tributorum ratio ad ærarium diteſcendum, ejusque inopiam ſublevandam, conquirendum eſt; Unde quæ de tributis ratione cauſæ finalis juſta & licita ſunt, ea etiam hic Mutuo P. ſuo tamen modo, applicata eſſe volumus.

§. 94. Arbitramur autem non tantum Mutui ſubſidio juſtè ſalutem publicam tùm procurari, ſi ea in omnes & ſingulos ſe diffundat, quod ſemper, quantum poſſibile, intendendum; ſed & tùm, ſi cum omnium ſalus obtineri nequit, modo ea quæ majoris & nobiliſioris partis eſt, obtineatur; hæc enim adhuc tunc communis boni rationem habebit. Quare in univerſum tenendum, Publica, utut privatis rebus anteferenda. *l. un.* §. 14. C. *de Cod. toll.* & *textt. parall.* Semper ita eſſe curanda, ut privatorum res quoque non negligantur. Contaren. *lib.* 4. *de Reb. Ven. p.* 206. quod ſecus fieret, ſi plus damni inde ſingulis, aut potiori parti inferretur, quam boni in publicum conferretur. Plura alia, huc ſpectantia, videſis in Cauſa Impell. ſuperius tractata. §. 26. *cum ſeqq.*

Effectus Mutui P. quotuplex? Qui per ſe, eſt vel expreſsè ab Accip. intentus. vel Mutuo P. magis Eſſentialis, Hic vel Generalis vel Specialis. Generalis ſub diviſio. Effectus primus immediatus quis? Huc ſpectat Obligatio, ex meræ rei ablatione veniens.

§. 95. Effectus Mutui P. *alius* per ſe eſt, *alius* per accidens. *Qui per ſe*, eſt *vel* expreſsè ab Accipiente intentus & obtentus, coinciditque cum fine, qui eſt ipſa ſalutis & utilitatis publicæ conſecutio, qua ſe Reſp. in anguſtiis ſuis adjutam ſentit; *vel* Mutuo P. eſſentialis & naturalis, qui, licet à contrahentibus quoque intendatur, magis tamen ex ipſa ejus eſſentia & ſubſtantia, quam à LL. habet, prodit & oritur. Hic iterum *vel* generalis, *vel* Specialis, ſeu certæ Mutui P. ſpeciei proprius. *Generalis* eſt *vel* primus ſeu immediatus, *vel* inde ortus ſeu mediatus.

§. 96. *Primus* & *immediatus* eſt Obligatio, quâ Imperantes non tantum id, quod ſupradictis modis mutuo datum, acceptum atque ſumptum eſt, reſtituere; verum etiam id, quod in mutuo & nomine ejus ab ipſis promiſſum, quodque ex æquo & bono præſtandum, præſtare tenentur. Sub hac quoque propter nomen ac prætextum mutui comprehenſam volumus Obligationem ad reſtituendum id, quod violenter ſive juſtè ſive injuſtè invitis dominis nomine mutui ablatum & exactum eſt; *quod fit in* Mutuis merè compulſis imperatis & non imperatis; etſi alias hæc Obligatio ex contractu Mutui propriè ſic dicto haud procedat. Rerum enim effectus ſæpe idem eſſe poteſt, etſi ipſæ per eſſentiam longè inter ſe diſtent.

§. 97. Eſt

§. 97. Est autem hæc utraque obligatio in Imperantibus naturalis, quam ipsum Jus N. & Gentium constringit, præcipiens (1.) fidem in promissis & contractibus esse servandam *l.1,π. de Pact.c.quod semel placuit.21.X.de R.l.in 6.* utpote Deo teste ac judice contractam, Grot. *de l.B & P. II,11. per tot. & c.14.n.6.vers.2.* confer Andr.ab Exea *de Pact.n.452.* (2.) ablatum invito Domino, in quem nihil juris competit, esse bona fide restituendum. Grot.*d.l.II,20,1.seqq.* & D.Simon *in Not.ibid* Id.Grot.*d.l.c.17,n.1. seqq.& n.16.17.& c.2.n.9.seqq.* Quemadmodum & (3.) id, quod princeps inevitabili temporis ac loci circumstantia coactus uni alterive civium salutis publicæ, ad omnes æquali proportione spectantis, causa sine proportione abstulit, à Jure N. refundi & compensari jubetur, ne cives alterius damno locupletentur, commodaque sola, ad quos etiam incommoda pertinent, contra naturam sentiant.*l.206.π.de R.I.l.secundum naturam 10.π.eod. c.quod omnes X.de R.I.in 6.& text parall.* & Dd.communiter. Et quamvis hoc casu non *iniq.* quid dominis invitis auferatur, *iniq.* tamen id *vel* retinetur *vel* non restituitur aut non compensatur, cum restitui aut commissa inæqualitas corrigi & reduci potest. His adstipulantur, qui ad naturam Dominii supereminentis cum Grot.*d.lib.II, c.14.n.7.* compensationem ejus, quod subditis hoc jure licitè auferetur, requirunt. Hinc cum Juri N. & Gent. imperantes æquè ac privati subsint, nulla sanè sufficiens ratio dari potest, cur princeps *ex plenitudine potestatis suæ* ab hac restitutionis & compensationis necessitate se solvere possit, quod tamen Gail. 2. *O.56.n.16.seqq.* visum est.

Obligatio ex Mut. P. est naturalis. Ratio.

Imperantes Iuri N & G. subsunt.

§. 98. Nec exempla desunt, quibus docetur, bonos semper Principes atque Respublicas creditoribus suis tum extraneis, tum civibus, rem, mutuo ab iis vel volentibus vel invitis acceptam & exactam, bona fide restituisse proque ea satisfeciisse. Memorabile est exemplum Senatus Romani, qui, referente Livio *lib.31.c.13.* parta victoria & fractis Carthaginensibus, mutuam pecuniam singulis bona fide reddendam esse decrevit. Quem Venetus Senatus in sua Rep. eodem modo secutus est, teste Bemb. *lib.X.* & Contaren. *lib.4.de Rep Ven.p.m.208.* Also daß alles solches danckbarlich sambt den Zinßen soll bezahlt werden. vid. Bornit. *de Ær. lib.7.c.1.& 3.*

Exempla Mutui P. bona fide restituendi.

Faust *in Cons. pro Ær. class. V. ord. 536. & Class. VII. ord. 653.* Vasq. in Contr. Illustr. *sup. dd. locc.* Neque gratia & honos, civibus morigeris & voluntariis habenda, oblivisc enda sunt. Veneti iis, qui in publicis necessitatibus Reip. pecuniam præstant, hunc tribuunt honorem, ut possint numero eorum Senatorum interesse, quos nominant *Pregatti*, die Erbettenen. Megiss. von der Venediger Herrlichkeit. *p. m.* 137. Bemb. *hist. Ven. lib.* 10. *p. m.* 411.

Etiam gratia & honos creditoribus habendus.

Etiam utile & glorioſum Principi, ſervare fidem.

§. 99. Nec naturaliter justum tantum est, ut Imperantes & Principes promissis & contractibus suis stent, mutuumque acceptum, bona fide restituant; sed & idem ipsis utile ac gloriosum est totique Reip. salutare, ne vel publici raptores videantur, vel fidem rumpentes ab exteris pariter ac subditis tempore angustiarum deserantur. Non enim dici potest, quanta mala domi & foris concussa fides ciere possit, quod in nostro argumento exemplum Henrici II. Regis Galliæ satis edocet, teste Bodin. *de Rep. lib. 6. c. 2. p.* 1043. Propterea has personas tenaciores veritatis, quam privatas esse decet, *ipsisque nihil antiquius quam fides est habenda*; quod & adeò verum est, ut etsi Imperantes in promissis & contractibus, videlicet in mutuo ratione usurarum, pacti antichreseωs & legis commissoriæ, quodammodo se læsos sentiant, nec non jus illis tribuamus, id, quod aliquam læsionem contra æquitatem continet, non præstandi; præstet tamen nihilominus hæc perferre damna, atque imposterum cautius mercari discere, quam ut ullam fractæ fidei speciem de se præbeant. vid. Bodin. *lib. 1. c. 8. p.* 156. Ita sane Carolus V. Imper. creditoribus suis non tantum pro sorte, sed & pro usuris gravissimis satis se facturum judicavit, cum civitates quasi prædes creditoribus daret, teste Bodin. *lib. 6. c. 2. p. m.* 1042. Si verò enormis fuerit læsio, nec æquitas jubebit, nec utilitas suadebit, quicquam ultra id, quod naturaliter & communiter justum est, esse solvendum; quoniam jure N. nulla promissio ex vi, metu aut errore facta obligat, docente Dn. Albert. *in comp. J. N. part. II. c. 6.* §. 13. neque vi dolove carere possunt fœneratores, qui, ex necessitate indigentis occasionem captantes, non aliter mutuum dare volunt, quam si indigens enormem usurarum quantitatem aut alia, quæ læsionem gravem inferunt, spoponderint ac dederint. Peroptata tamen ac comoda Pontificis autoritas obtigit Philippo II.

præstat, Principem etiam cum damno fidem ſervare.

Fœneratorum ſtagitium.

Regi

Regi Hisp. qui ipsi & Genuensibus ob id sacris interdixit, quod ille quidem acciperet, hi verò darent fœtori pecuniam; & quæstio Romæ habita de Genuensium fœneratoribus, quâ quidem compertum est, plerosque ducentesimum ac trecentesimum fœnus à Philippo accepisse. Philippus autem occasione hinc accepta, ne fidem fallere videretur, creditores decem annorum usura fraudavit. Bodin. *de Rep. d. l. p.* 1044. Quale quid etiam aliis, fœneratorum avaritia pressis, si effectum jure nancisci posset, contra fœnebre malum expetendum esset.

Genuenses fœneratores.

§. 100. Creditoribus verò subditis tanto magis id, quod in mutuo læsionem contra æquitatem Reip. importat, denegare licet; quanto magis defendi potest, etiam id, quod verè nomine usurarum ac ejus, quod interest, alias debetur, à summa potestate posse non præstari nec solvi; sed nomine tributorum, si horum quoque subsit ratio, ob varias causas retineri; modo non alia inæqualitatis ratio hic obstiterit. Si tamen justæ usuræ & id quod inter est, promissa fuerint, vix aliter non solvi possunt, quam si singulorum postmodum consensu liberaliter Reip. remissa, aut alio modo à subditis illi accepta lata fuerint, ne fidei publicæ vis fieri videatur. Quo casu eriam ipsum sive capital, æqualiter omnibus imperatum Resp. lucrari & non restituere potest. Aliquando tamen civibus necessitati est parendum, si per rationem publicæ necessitatis & utilitatis restitutio mutui vel simpliciter vel commodè fieri nequeat; quò ipso tamen obligatio non tollitur; sed suspenditur tantum, donec commoda illa & possibilis sit. Ita emergente nova necessitatis causa eo tempore, quo restitutio facienda esset, pecunia mutua etiam invitis creditoribus civibus non solvi potest, suspendendo sic obligationis effectum, aut eam quasi novando, ac si denuo pecunia mutuo esset data & accepta. Imò illam etiam pecuniam, quam princeps privatim cui debet, necessitatibus Reip. hoc jure commodare potest. Excell. Dn. Bœcl. *in comm. ad Grot. lib.* 1. *p. m.* 132. *& seq.*

Creditoribus subditis & quod lasionem infert, denegari; & quod justarum usurarum & interesse nomine venit, non solvi potest. Quid si usura justæ promissæ? Quandoque necessitati parendum. & suspenditur obligatio.

§. 101. Porrò hæc obligatio non unicè, etsi primariò, ossibus imperantium, qui mutuum vel per se vel per alios contraxerunt, adhæret; sed & in illorum successores ac universam civitatem, cujus salutis & utilitatis causa acceptum illud est, se diffundit; modo

Subj. Obligationis ex Mut. P. non tantùm ipsi Imperantes;

hoc imperantium negotium probabilem rei gerendæ rationem habuerit, dignitatisque tuendæ respectus subfuerit. *Quod* successores imperantium spectat; quia illi cum antecessore suo una persona, unumque civitatis caput moraliter sunt habendi, una etiam eademque obligatio in utrisque erit, videatur tamen Grot. *de I. B & P. II*, 14, 11 *seqq.* Dn. Zigler. *ad Grot d. l.* Nec necesse est, ut hic de generibus successionis pluribus investigemus. Eo tamen fortius Antecessorum obligatio constringet Successores, si ordinum consensus de mutuo contrahendo ac sumendo fuerit adhibitus; si & idem, quod Antecessor, ejus Successor promiserit, vel bona defuncti ad hunc delata fuerint. Unde, num Franciscus I. Rex Galliæ, Helvetiis, patris debita reposcentibus, jure responderit; *se debita paterna solvere non teneri, cum hæc sceptra non hæreditario jure habeat, sed lege regia?* facile dijudicari potest. Sed & curia Parisiorum, Reges Galliæ majorum obligatione non teneri, jam pridem judicavit. vid. Bodin. *lib. 1. de Rep. c. 8. p. m. 164.* Aliud tamen & rectius sensit Elisabetha Angliæ Regina, quæ anno 1573. gloriosè Angliam *ære alieno, quod pater & frater apud exteros contraxerant, & fœnebri malo admodum increverat, liberavit, syngraphis civitatis Londini toties renovatis, jam magna cum civium lætitia redhibitis.* Cambd. *p. II. anno 1573. p. m. 257.* Hoc idem ex eadem ratione in successoribus Statuum Imperii nostri, aliorumque, qui imperium & potestatem suam civilem feudi nomine à superiore recognoscunt ac de regali dignitate territorialique superioritate, (quos etiam Mutuum P. sumere posse supra ostendimus) investiti sunt, obtinebit. Quinimo generaliter apud Dd. prævaluit, successores in Ducatu, Marchionatu, Comitatu &c. esse potius universales, quàm singulares successores, & succedere in ducatu &c. cum omni sua causa vitiis & qualitatibus; propterea omnes actiones tam activè quam passivè in illos transire. vid. Bald. *in cons. 159. n. 5. vol. 3. & in c. 1. n. 5. de cap. qui cur. vend. & cons. 202. n. 2. vers. ampl. est subd. vol. 2.* Everh. Præs. *cons. 3. n. 31. inf.* Tiraq. *de jur. primog. q. 35. n. 17. & 18.*

Sed & successores eorum.

Et Successores Statuum Imperij &c.

§. 102. Quod universum subditorum cœtum attinet; Sanè illi ad facta superiorum præstanda, adeoque mutuum nomine publico acceptum solvendum, obligantur, non *tàm* ex eadem causa, qua successores antecessorum suorum facta præstare tenentur; consti-

Et universus subditorum cœtus.

constituunt enim subditi cum imperatibus ceu capite suo, unam personam mysticam; *quàm* hoc potissimum nomine, quod non imperantium, sed civium negotium primariò gestum habeatur; unde naturalis obligatio in subditis de in Rem verso, si mutuum utiliter acceptum & impensum; aut si saltem probabilem rei gerendæ rationem, quæ in dubio ob imperantium autoritatem semper præsumitur, Grot. *de I.B & P. II*, 14, 12. habuerit, sufficiet obligatio ex præsumpto omnium consensu, qui omnes idem probabiliter pro salute communi accepissent, aut simile quid facere pro se naturaliter debuissent, etsi effectu caruisset. Idque eo magis verum est, quia ipsa civium immediata obligatio reciprocè quoque in imperantes sese exerit; si nempe, populus antea liber pecuniam debuit, imposito sibi postmodum Rege, tunc ipse Rex vice populi debebit, neque magis populus desinet eandem debere. Grot. *d.l. c.9.8.v.3.* Tenet autem hæc Imperantium & Regentium obligatio subditos naturaliter universos in solidum; singulos vero pro rata, *l.7.§.1.π. quod cujusq; universi nomine.* Carpz. *p.II.C.6.def.24.& 26.* Jure tamen Gentium voluntario singuli quoque in solidum adstringuntur, & ad illud solvendum cogi possunt, si scil. creditor extraneus debiti solidum ab universis consequi nequeat &c. add. Grot. *de I.B & P. III*, 2, 1, & 2. *seqq.* Dictis non obstat, quod mero Jure N. nemo ex facto alieno obligetur.

Tenentur subditi Iure N. pro rata,

Iure verò Gent. in solidum.

§. 103. Spectat huc etiam Mutuum ac æs alienum, quod imperantes sui suorumque sustentandorum causa conflarunt, quia hæc causa, si non ipsa publica est, arctè tamen cum publica cohæret, uti superius jam dictum §.19. Econtra si imperantes non nisi privatæ suæ utilitatis causa negotia gesserint, aut ad luxuriam & profusiones inutiles sua potestate abusi fuerint, æreque alieno se illaquearint, certum est, ex hoc regentium facto, tanquam *mere alieno*, cives naturali jure non teneri, utut creditores exinde læsi fuerint; hinc subditi neque ab ipsis imperantibus neque à creditoribus illorum justè cogi poterunt, ut pro iis debita solvant. In dubio tamen & ubi de Principis nimio luxu apertè non constat, aut constiterit quidem, sed spes emendationis in illo supereſt, laudabiliter facient subditi, si debita ejusmodi in se susceperint. Et sane difficile nonnunquam est, utiles & voluntarios sumptus inter

Num & ex ære alieno Principis, quod sui suorúq; causa specialiter contraxit?

se discernere, cum tantas tutela provinciarum & regimen politicum exigat impensas, ut privati vix capiant; & iniquium insuper est principem ad rationes rigidè reddendas constringere. conf. Zigler. *ad Grot. III, 2, n. 2.*

Obj. obligationis ex M. Pub.

§. 104. Objectum hujus obligationis, ex Mutuo P. descendentis, est *idem, in eadem bonitate & quantitate* restituendum, quod idem Jure civili in mutuo etiam privato obtinet *pr. Inst. quib. mod. r. contr. obl. l. 2. pr. π. de Reb. Cr.* etsi etiam de ejusmodi restitutione expressè nihil inter partes cautum fuerit; quia hoc omni mutuo naturaliter inest, ac exinde fluit. *l. 3, π. eod.* Intelligitur autem h. l. *idem* in genere, non in specie, quod duplici hoc respectu idem esse debet. (1.) *ratione* naturæ & essentiæ proximæ communis, in qua duo numero distincta conveniunt. (2.) *ratione* quantitatis & qualitatis, ut res ista, quæ cum altera in *eadem communi natura* proximè convenit, conveniat quoque in *eadem quantitate* ponderis, mensuræ &c. inque *eadem bonitatis qualitate*, quam altera numero distincta res in se habuit; quibus requisitis absolvitur fungibilium rerum natura. Unde satis apertè sequitur, contra justitiam ac naturam contractus Mutui P. veri & quasi esse, ut in vito creditori aliud pro alio, vel etiam minus aut deterius à debitore publico solvatur & obtrudatur. *l. 2. §. 1. π. de Reb. Cr. l. 3. eod. l. 16. C. de solut.* Non enim alio modo se ab obligatione solvere licet, quam quo inter contrahentes placuit & fides data fuit, ne alter contra naturam damnum & inæqualitatem patiatur; præsertim si non nude ex conventione, sed simul ex re obligatio nata fuerit. Bene tamen aliud pro alio volenti & consentienti creditori solvi potest. *l. 17. & 20. C. de solut. pr. Inst. quib. m. toll. obl. l. 4. 6. in pr. π. de solut.* Ita ex pacto, mutuo adjecto, pro pecunia vinum, oleum, frumentum, aut alia species solvi potest. *l. 5. & 10. C. si cert. pet.* Quamvis etiam ex præceptis charitatis creditor, propter inopiam debitoris sit obligatus, ut ab eo aliud pro alio quandoque accipiat, ex hoc tamen debitori nullum accrescit jus, aliud creditori invito obtrudendi, sicque ab obligatione se solvendi; nisi potestate *superioris* legeque aliqua civili (quod juste fieri potest) creditori injunctum fuerit, ut ab inope debitore aliud accipiat, quod & creditoris interesse potest. *Auth. hoc nisi debitor. C. de solut. Nov. 4. c. 3. Auth.*

Aliud pro alio Creditori invito solvere non licet.

limitatur.

Auth. hoc jus porrect. C. de SS. Eccles. Rittersh. *ad Nov. part. III. c. 3. n. 3. seqq.* Perez. *in Cod. de solut. n. 8. seqq.*

§. 105. Aliud igitur, quod in obligatione Mutui non fuit, si pro alio acceptum à creditore non est, quo compensatio fieret & obligationis solutio sequeretur, etsi interea inops debitor impossibilitate satis excusetur; quandocunque tamen copia suppetet, exeret sese quasi sopita obligatio ad solvendum id, quod ex mutuo naturaliter est restituendum. Dn. Bœcl. *in Comm. ad Grot. lib. I. p.* 120. quemadmodum omnis etiam alia obligatio, impossibilitate antea impedita, minime censetur perempta, sed restituta Rep. vel ad integrum solvendum, vel ad supplendum id, quod ex parte tantùm solutum, reviviscit. Vasq. *lib.* 1. *Contr. Illustr. c.* 5. *n.* 15. & 16. Itaque Romani olim privatis creditoribus agrum publicum intra quinquagesimum lapidem pro pecunia, ab iis mutuo accepta, quam exorto novo bello Macedonico Patres solvere non poterant, ea lege obtulerunt, ejusque copiam illis hoc promisso fecerunt, ut si quis, cum solvere posset populus, pecuniam habere quam agrum mallet, restitueret agrum populo Liv. *lib.* 31. *c.* 13. Quamvis autem læti hanc Senatus Romani conditionem privati accepere, neque forsan ipse Senatus, tùm è tranquillitatè publica fore credidisset, ut civibus invitis aliud pro pecunia mutua obtruderent; id tamen in jus respectu Summæ potestatis debitricis non est trahendum, quæ exceptionem à regula hic facit, eique ob necessitatem publicam licere putamus, ut civibus suis Creditoribus etiam invitis (non item extraneis propter potestatis legitimæ in eos defectum) aliud pro alio in mutuo solvat; quoniam & alia damna jussu superiorum pro Reip. necessitate & utilitate cives subire tenentur; quod idem Resp. Veneta exercuit, quæ, referente Contareno *lib.* 4. *de Rep. Ven. p.* 208. pro pecunia mutua aliquando civibus, ne omnino à Rep. capitis & emolumenti restitutione fraudati esse viderentur, Reip. possessiones omnes in agro Rodigiensi positas distribuit. Licet tamen creditori aliud pro alio à debitore exigere, modo id sine præjudicio debitoris fieri possit, casu quidem eo, quo id, quod proximè debetur, deficit; quia, *quoties natura ad idem pertingere nequit, fertur ad tantundem quod naturali æstimatione est idem.* Grot. *de I. B & P. II, 7.* 2. Sed *num contra mutui naturam* &

Impossibilitas magis suspendit & sopit obligationem, quam perimit.

Licet Summa P. aliud pro alio civibus invitis solvere,

etiam Creditori à Debitore exigere, limitatè tamen.

naturam bonamq; fidem agat debitor, si idem in individuo creditori restituat? Non videtur.

Idem in eadem quantitate ex Mut. solvendum.

§. 106. Deinde nec minus invito Creditori solvi potest, sed ut idem illud, quod restituendum, sit tantundem sive idem in eadem quantitate, necesse est. Totum igitur & integrum quod debetur non pars, solvenda est. *l.3.π.fam.erciſc.* Perez. *in Cod. de solut. & lib.n.10.l.13.§ 8.π.de Act.empt.* nisi impossibilitatis ratio, quę nullam obligationem habet, obstiterit. Si tamen aliter convenerit, quam fert natura mutui, etiam eo, quo conventum, modo solutio facienda est. Ita minus, quam datum, solvi potest, si ita placuit. *l.11. §.1.π. de Reb.Cr.*

Vt & idem in eadem bonitate.

§. 107. Denique nec deterius ex eadem mutui lege solvere licet, sed requiritur ut idem quoq; sit in eadem bonitatis qualitate. *l.3.π.de Reb.Cr.* ibiq; Gotofr. Neque vicissim debitor obligatur, ut melius restituat quam accepit; nisi aliter convenerit. Ita ex pacto deterius solvi potest; quia tales conventiones, quæ leviorem debitoris causam faciunt, non tam jure gentium quam jure civili licitæ sunt *l.7.8.11.§.1.l.40.π. eod.l.4.§ ult.π.de pact.* & speciem donationis habent. vid. C.I.A. ad *π.de Reb.Cr.ϑ.27.* Sic vicissim in Mutuo publico obligatio ad melius & plus præstandum, quam acceptum fuit, pacto contrahi potest, etsi id jure privato non procedat. *l.17. pr.π.de pact.d.l.11.§.1.π.de R.Cr.* tationem hujus superius dedimus, modo tamen hoc intra legitimam usurarum rationem contineatur, neque avaritia & fraude creditoris expressum fuerit. Quod si verò numi crediti sunt restituendi, tunc id, quod C.I.A. *ad π. de Reb.Cr.ϑ.29.* in solutione horum examinat, hic quoq; justitiam habere suo modo admittimus. Ubiq; autem non solum valorem monetę eundem, sed & eandem materię bonitatem, quæ cōmuni hominum opinione & usu talis habetur, in justa solutione numorum requirimus *l.1.pr.ibi: electa materia est & ibi: eaq; materia.π.de contr. empt.* conf. Dn. Strauch. *Dissert.XIII.*10. Deniq; non minorem æquitatem habet, ut mutata moneta sive in valore sive in materia tempus, non solutionis, sed contractus inspiciatur, ut in rei veritate tantum solvatur, quantum acceptum fuerit *l.3.π. de Reb. Cr. arg. l. 1. & 2. C. de Vet. num. pot.* Qua autem probitate materia numorum in Imperio nostro cōmendanda sit, ostendit Schvvartzkopff. *in diss. pecul. de moneta ejusq; jure*, ut & alii.

Quid rat. numorum observandum?

§.108.

§. 108. Constat igitur ex dictis, quid ex obligatione Mutui P. tàm veri quàm analogici, sit solvendum & restituendum? Adjungendi nunc veniunt modi, quibus justè ac prudenter solutio & restitutio fieri debeat ac possit. In genere quoad modum solutionis justum tenendum, quod ipsa *bonâ fide* cuique creditorum sit facienda, ne pro beneficio suo creditor in damno facto debitoris inique versetur; cui specialiter respectu civium subjungenda observatio, quam Contaren. *lib. 4. de Rep. Ven. p.m. 209.* annotat; quod *in restitutione Mutui P. prior ac potior Reip. ratio, quam privati commodi, sit habenda.* Econtra tamen sedulo prospiciendum, ne, qui publicam rem suis facultatibus adjuverunt, inique detrimentum patiantur; sed ut iis, quantum possibile, ex æquo satisfiat. Hinc mutuum civibus creditoribus *vel* ex publico est restindendum; *vel*, si certi quidam è civibus mutua pecunia publico adstiterint, neque publicum ærarium ad hoc æs alienum solvendum sufficiat, illis ex universorum civium collatione, detracta ea particula, quæ civem mutuantem, ceu unum è populo, respicit, pro mutuo & usuris est satisfaciendum. Vasq. *in proœm. Contr. Illustr. n. 31. & lib. 1. c. 5. n. 15. & 16. & c. 6. n. 6.* Perez. *in Cod. de super ind. n. 5.* Et hoc generaliter dicendum esse in quovis Reip. Creditore subdito, docet Perez. *de Indict. n. 18.*

Solutio debiti ex M. P.

non tàm justè faciendа est,

§. 109. Non tamen imperantibus, eo minus, quod bona fide mutuum cum justis usuris, & eo, quod interest, restituere debeant, de modis licitis cogitare licet, quibus prudenter debitum solvant, seseque contra mala & damna, quæ Remp. ex simplici & non commoda aut nulla solutione sequi possunt, præmuniant; fere ad eum modum, quo is, qui tranfitum alteri jure naturali debet, sibi præcavere potest, ne securitas publica lædatur. Varios igitur modos ex historia tùm veteri tùm recentiore hic observare licet, quibus prudenter quæsitis Imperantes & Respublicæ creditores suos, molestè & seditiosè urgentes, vel ad tempus vel in perpetuum licitè sopivère. Quo pertinet inter alia exemplum *Clazomeniorum*, qui decimas usuras, quas mercatoribus pro ablatis mercibus promiserant, ab ementibus merces ultra pretium nomine vectigalis exegerunt, atque creditoribus persolverunt. *Chiorum* etiam, qui fœnus, ex proventibus pensum, sortis solutioni imputarunt,

quàm prudenti modo ac circumspectè eam facere licet.

Varij prudentis satisfactionis modi,

1. *Clazomeniorum*

2. *Chiorum*

runt, donec persolutum fœnus sortem æquaret. Quem modum etiam pro mutua pecunia satisfaciendi Resp. Veneta est amplexa, cujus supra meminimus; nec modus hic, prout Veneti illo usi sunt, in subditos propter tempora Reip. minus faventia, nec non propter ipsam Civitatis utilitatem promovendam, iniquus esse potest; etsi minus solvat, qui particulatim solvit, etiam naturali jure *l.3. fam.erciſc.l.9.C.de solut.* & minus, qui post statutum tempus solvit §.5.*Inst.de Fidej.* Grot.*de I.B & P.II*,12,20. quia pro publica salute damna pati naturaliter sunt obstricti; neque extraneis hæc restitutionis ratio, quam necessitas debitoris expressit, admodum invisa esse potest; cum nihilominus suum consequantur, etsi particulatim & aliquantum tardius; quoniam & ipsi, ab egestate aliàs satistuti, alienam post suam Remp. in inopia sublevare, etiam cum suo damno, naturalitet tenentur; etsi ad hoc acceptandũ cogi nequeant.

& Venetorum.

3. licet mutuum tributis compensare.

§. 110. Probatur nobis etiam is modus satisfaciendi creditoribus civibus, ut pecunia mutuo accepta compensetur tributis, quæ cives lege ordinaria vel extraordinaria pendere tenentur; quem quoq; modum exercuit Resp. Veneta apud Bemb.*lib.X.hist. Ven.p.m.*411. Communiter autem ferè ordinatio fieri solet, ut creditores delegentur ad proventus publicos, ex quibus eis satisfiat, exemplo Tai Regis Ægyptiorum. Sed Memnonis Rhodii arsyrannica fuit, qua cives suos omni solutione fraudavit, Arist.*2.Oecon.* Quî etiam justè aliud pro alio in mutuo *solvi* possit? jam dictum est. Ubi vero & quando hoc Reip. consultum sit, & prudenter fieri possit, judicent isti, qui civitatis debitricis & creditoris conditionem, circumstantias item loci ac temporis benè perspectas habent. Territoria certè non facile in extraneos sunt alienanda, sicut nec ipsis facile agri publici, sed subditis potius, pignori, pro mutuo, sunt subponendi, propter damnum quod Reip. exinde contrahi solet. vid. Besold.*de Ær.c.6.*§.3. Fanst.*in Const pro Ær. Class.X.ord.*780. excepta summa justitiæ ratione, si alia spes creditoribus satisfaciendi non supersit. vid. Bodin.*de Rep. lib.6.c.2.p.* 1002. Perez.*in Cod.de super ind.n.3.* Approbatur denique tempore summæ necessitatis ille modus, ut vel numus ex alia materia, quam quæ communi hominum opinione & usu recepta, e.g. ferro, ære, stanno, etiam corio percutiatur; vel potius numi boni valor augeatur,

Territoria verò non facile sunt alienanda.

4. approbatur etiam mutatio monetæ.

augeatur, vid. Lampad. *discurs. de usu & nat. nummi.* ut duobus æstimetur; quo medio ab ære alieno & aliis Reip. imminentibus malis liberatio aliquoties facta est. Ita *Clazomenij* olim ferreum numum percusserunt, hocque prudenter se suamque civitatem ab ingenti summa, quam militibus stipendii nomine debebant, liberarunt; referente Arist. 2. *Oecon. Timotheus* quoque *Athenienſis* æreum numum introduxit in Remp. donec argentum sibi suppeteret. Aloisius, Caroli IIX. Regis Galliæ propinquus, à Venetis Novariæ obsessus, cum pecunia eum defeciſſet, æreum numum percussit, qui pro argenteo polleret. Bemb. *lib. 2. hist. Ven. p. 82.* Stanneum Dionysius Syracusanus; Lugdunenses Batavorum, Corium, civibus suis persuaserunt; nec non aliquando duplicato numi valore, ut unus denarius æstimaretur duobus, debitum suum civibus idem Dionysius persolvit. Arist. *d. l.* De qua monetæ mutatione tàm in materia, quàm forma, vid. Bornit. *lib. 6. de Ær. c. 6. & 7. & de Num. c. 9.* Modo tamen hæc in fraudem creditorum & subditorum expilationem tyrannicam comparata non sint; sed non nisi urgente extrema necessitate, Imperantes ejusmodi quid statuant, atq; illa remittente, sicq; existente possibilitate, omnia in pristinum & æquiorem statum reponant, unicuique deniq; ex æquo & bono satisfaciant. Nunquam igitur numi ita mutuo sunt accipiendi, ut calendis (quod ajunt) Græcis restituantur, id quod Dionysius fecit, teste Arist. *d. l.* Silescat quoque & maneat sepultum arcanum Vitellii, qui, postquam ære alieno admodum obstrictus, principatum adeptus fuerat, requisitis creditoribus dicebat: se reddidisse salutem pro pecunia; reposcebatque tabulas contractuum. add. Speidel. *in specul. Jurid. sub voc.* Leyhen. *n. 89.*

sed quousque?

Modus solvendi illicitus.

§. III. Effectus mutui P. *mediatus*, qui ex Obligatione, in eo contracta, descendit & oritur, sunt *Media* ac *Remedia*, quæ creditoribus tùm exteris cùm civibus contra Imperantes Debitores jure competunt ad persequendum id, quod sibi debetur. Non enim obligatio, in Mutuo P. contracta, ita consistit in Imperantibus, ut ipsi tantum per se & in conscientia ad restitutionem mutui sint obstricti, nec tamen in eos, qui crediderunt, & quibus res invitis ablata est, jus exigendi creditum transiverit; sed omnino his etiam naturaliter acquisitum est jus exigendi *cum effectu* id,

Effect. Mediatus qui sunt Remedia & Actiones.

quod ex mutuo ſolvendum: ſunt enim Accipientes in Mutuo publico tali jure Nat. & Gentium debitores, à quibus etiam invitis debitum exigi poteſt. *l* 108. *π. de V. S. l.* 84. §. 1. *de R. J. l.* 178. §. *ult de V. S.*

Num Condictio certi? §. 112. Sed *quo Remedio & qua Actione?* De jure quidem privato ex Obligatione Mutui competit *Condictio certi*, vid. C. I. A. *ad π. de Reb. Cr.* §. 23. *ſeqq.* & ad rem violenter ablatam vindicandam, ſpeciales aliæ actiones. Quoad remedia igitur ex obligatione Mutui P. deſcendentia diſtinguendum (1.) inter Creditores cives & extraneos, (2.) inter jus perſequendi debitum & medium ſeu modum perſecutionis. Nullum autem dubium eſt, quin creditor, qui cum Rep. quadam mutuum vel verè vel quaſi tale contraxit, habeat jus efficaciter, quod ſibi debetur, perſequendi; & per conſequens Actionem quoque, ad minimum ita, ut declaretur jus Creditoris. Grot. *de l. B & P. II*, 14, 6. Sed *num creditor civis in Rep. Romana habeat Condictionem certi, ſicque ſecundum leges civiles Superiorem ſuæ Civitatis ex mutuo convenire poſſit?* Certè hæc in Imperantibus obligatio non omnis civilis vinculi expers eſſe poteſt. Cum enim lex civilis ſit communis Reip. ſponſio *l.* 1. & 2. *π. de LL.* in eam utique etiam legislator hoc ipſo, quo rogavit eam, ſpopondiſſe intelligitur, ut eadem, quam toti communitati ſalutarem, æquam & bonam judicavit, in ſuis quoque actibus valeat; atque hujus obſervationi tam diu per conſcientiam eſt alligatus, quamdiu ratio ſuæ conſtitutionis duraverit. *l.* 4. C. *de LL. l.* 3. C. *de Teſtam. l.* 23. *π. de Leg. III.* §. *ult. Inſt. quib. m. teſtam. inf.*

Affirm. de Rep. Romana Ratio.

Limitatio. Si igitur non conſter Superiorem ex aliqua æquitatis aut utilitatis publicæ ratione ſe legibus iſtis voluiſſe expreſsè vel tacitè exemptum, præſumitur iſte ſecundum ſuæ civitatis leges in mutuo voluiſſe ſe obligare ita, ut ex illis *tam* ſibi adverſus privatos, *quàm* privatis adverſus ſe juris civilis remedia ſuum perſequendi pateant; *Sic videmus*, inquit Grot. *de l. B & P. lib. II*, 14, 2. *Reges quosdam adverſus fœnebre malum ſibi conſuluiſſe juris remediis*; unde etiam creditori civi eadem adverſus ſuperiorem, quæ contra quemlibet privatum, ex Mutuo actio adſcribenda eſt. Itaque olim in Rep. Romana Principes contra ſe & fiſcum eodem, quo contra privatos, modo procedi paſſi ſunt. *l. ſi minori.* 3. C. *de J. Fiſc.* conf. Perez. *in Cod. de LL. n.* 15. *ſeqq.* Neque diſtinctione hic inter actus Regis quà regis, & actus Regis quà Rege, ſed

ut

urà quovis alio fiunt, admodum opus esse putamus; Cogere tamen violenter Principem contradicentem & renuentem subditis nunquam licet Grot. *de I.B & P. II*, 14, 6. add. *Nov.* 23, *c.* 2. Exceptis etiam legibus pœnalibus, quæ in actibus imperantium locum non habent. Grot. *d. l. n.* 1. 2. 6. *& c.* 11. *n.* 5. *Exceptio.*

§. 113. In Imperio autem nostro de Actione ex Mutno P. competente res certa est. Hic enim cum Status immediatique Imperii cives inter se, nec non imperantes suis subditis ex mutuo & aliis contractibus secundum comunem Imperii legem, cui & status subsunt, obligentur; subditis utique competenti ex Jure communi actione Imperantes suos debitores coram competente Judice, quem Cameram Imperialem, nisi speciali alio foro & austregis gaudeant, habent, valide convenire eosque ad solutionem cogere licet. *Ord. Cam. p. II. tit.* 1. *&* 27. Blum. *in Proc. Cam tit.* 26. *n.* 39. *seqq.* Sed *à tali actione libera nos domine*! quemadmodum in simili argumento potentia minus valentes ita orare docet Gail. 2. *O.* 56. *n.* 6. Imò ipse Imperator in contractibus secundum Imperii legem Jurisdictioni Electoris Palatini est subjectus atque coram ipso in curia Imperiali, aut ubi imperator præsens, conveniri potest. *A. B. tit.* 5. §. *ult.* *Quid juris in Imper. nr. circa actionem ex Mut. P. competentem?*

§. 114. Creditoribus verò extraneis non tantum remedium ejus civitatis, cujus imperantibus mutuum crediderunt, amplecti, eoque, si consultum sit, in foro illius, num debitum consequi possint, tentare; sed & omnibus iis experiri mediis licet, quæ jure N. & Gentium competunt, tametsi cum vi & coactione conjuncta sint; si sc. solicitando aut procedendo eo, quo secundum LL. civitatis debitricis licuit modo, suum non obtinuerint: quoniam Extranei pari Jure Universali cum Rep. debitrice gaudent; unde Repressaliis, Pignorationibus & Arrestis contra illam ejusq; cives uti possunt; modo tamen si privati sint, Repressalias & Pignorationes, quæ belli species sunt, non nisi suæ Reip. autoritate exerceant, cum nec jure Gentium bella privatis liceant. Gail. 1. *O.* 28. *n.* 9. Grot. *de I.B & P. III*, 2, *per tot.* Sicut & Jure civili privato repressaliæ & pignorationes sunt prohibitæ. *Nov.* 52. *c.* 1. nec non in Imperio nostro inter status Imperii & nobiles immediatos adversus alterius status & Nobilis subditos eorumque bona immobilia; ne sc. facile tran- *Quænam Remedia liceant Extraneis?*

quillitas publica turbetur, neve quis in propria causa odiose sibi jus reddat; quare etiam unicuique eorum sua competentia fora & Judices sunt ordinati. *Ord. C. p. II. tit. 22.* Gail. 1. *O.* 8. & 148. *n.* 10. & *tot. tr. de pignorat.* Ubi *in Obs.* 1. *n.* 4. pignorationem à Repræsaliis (uti ipse hanc vocem scribit) distinguit. In specie de Represaliis vid. *in d. tr. c.* 2. *n.* 3. & 4. Quid circa Arresta in Imperio obtinet, exponit Id. Gail. *tot. tr. de Arrest. Imp.*

Quibus competant hæc Remedia,

§. 115. Competunt denique hæc Remedia non tantum Creditoribus ejusque heredibus, sed etiam ipsi Reip. ejusque Imperantibus, quibus creditor subjectus est; quia causa subditorum est m. causa Reip. & ejus inter est locupletes habere cives. *Nov.* 8. *in præfat.* §. 1. *vers. consideravimus. arg.* §. 2. *Inst. de His qui s. vel al.* 1. Nec tantum competunt adversus Imperantes ipsos, qui vel per se vel per alios mutuum publico nomine acceperunt; sed & advdrsus eorum successores, ipsam Remp. ejusque cives; qui omnes eidem obligationi obnoxii sunt. Neque opus hic habet creditor probare versionem Mutui dati in utilitatem Reip. uti id de Jure civili, in mutuo, administratoribus civitatum municipialium dato, requiritur *l.* 1. *C. de solut. & lib. debit. civit. Auth. hoc jus. in fin. de SS. Eccl.* Richt. *decis.* 71. *n.* 6. sed sufficit hic constare mutuum datum & acceptum fuisse, atque probabilem accipiendi rationem habuisse; quod ipsum in superiore, qui nudus Reip. Administrator haud est, propter summam ejus autoritatem semper præsumitur. Grot. *de I. B & P II*, 14, 12. Pontifex tamen Clemens VII. qui erexit *montem fidei* ejusq; collegium, creditoribus suis, in dicto monte pecunias ponentibus, ut eò securiores illos redderet, in constitutione sua super illo promulgata, onus probandi, versas fuisse pecunias istas ad utilitatem Ecclesiæ, expresè remisit. Tholos. *de Rep XIII. c.* 16. *n.* 11.

& adversus quos?

Num Creditor hic versionem probare teneatur?

Effect. Specialis qui est Mutui Imperati.

§. 116. Sequitur *Effectus* Mutui P. *specialis*, *ille* nim. qui Mutuo Imperato, prout est quasi Tributum extraordinarium, *proprius.* Huic autem omnes istos attribuimus effectus, qui & Collectis sive tributis extraordinariis veris competere, huicque quasi Tributo pro natura ejus commodè aptari possunt, de quibus videantur Dd. passim in specie Klock *de Contrib. c.* 18. & 19. & C. I. A. *ad π. de Cens. ϑ.* 15. & *de Collect. ϑ.* 3. Inter hos potissimi & huic collectæ speciei maxime convenientes sunt Remedia coactionis & exactionis

actionis; ut carcer, mulcta pecuniaria, pignorum captio, venditio bonorum & prædiorum. vid. Gail. II. O. 52. *n.* 20. & 21. Klock. *d. l. c.* 18. Item pœna dupli & pœna proscriptionis C. I. A. *d. l.* 9. 31. Et ejusmodi alia, quæ omnem Collationis dilationem & moram tollunt. add. Gail. I. O. 20. *n.* 6. & 7. quia hoc tributi genus præsentis subitaneique auxilii & subsidii causa imperari solet. Itaque Veneti, quando subditi huic mutuo imperato se opposuerunt, bona eorum pignorarunt atque sub hasta vendiderunt. Bemb. *lib. X. Hist. Ven.* Relat. *de Pot. & Ær. Ven. p. m.* 324. Faust. *in Cons. pro Ær. Class. XIX. ord.* 1521.

§. 117. *Accidentalis* Mutui P. effectus est varius. Sed tandem aliquando vela Dispntationis nostræ sunt contrahenda. Nullus autem, *Candide Lector*, dubito, quin si quid humanibus hic passus fuero, veniam à tua benevolentia meriturus sim, præsertim, si ipse viscera hujus argumenti, quæ pro ingenii mei modulo hic tibi exponere conatus sum, inspexeris: certè illud meos exploravit humeros, *quid valeant, quid ferre recusent*; ad minimum, rogo, faveas voluntati & conatui meo, quæ DEO, Patriæ & Proximo inservire studiosè propondent. TIBI deniq;, CLEMENTISSIME JEHOVA, qui tantam mihi gratiam ad conscribendam hanc de mutuo P. dissertationem beneficentissimè fœneratus es, usuras pro sorte hac dulcissima grates persolvo immortales; & ut TIBI SOLI me totum debeo, ita sint studia mea Tuæ Benedictioni imposterum humillimè comendata, TUOque SOLIUS NOMINI consecrata, cujus Gloria ultimatus semper eorum FINIS.

Effectus Accidentalis.

Emendanda.

Pag. 10. *lin. ult. pro* c. 49. & 56. *lege*: c. 48. & 55. *pag.* 17. *lin.* 5. *ab ult. lege*: remotè. *pag* 19 *lin.* 6. *lege*: usuris. & *lin.* 30. *ibid. lege*: sanè. *p.* 20. *lin.* 12. *pro* Polynæ. *lege*: Polyæn. *pag.* 22. *lin.* 18. *pro* mutum. *lege*: mutuum. *pag.* 24. *lin.* 29. *pro* imperati; *lege*: accepti. *p.* 27. *lin.* 15 *pro* habuit. *lege*: habet. *p.* 30. *lin.* 1. *lege*: reguleturque *p.* 34. *lin.* 14. *pro* Belgia, *lege* Belgica & *lin. seq pro* §. 12. *lege*: §. 19. *p.* 36. *lin.* 6. *ab ult. pro* vititio *lege*: vitio. *p.* 44. *lin* 9 *lege*: mutuo. *p.* 46. *lin.* 10. *à fin. pro* Hittzius, *lege*: Hirtius. *pag.* 51. *lin.* 24. *pro* distinguit, *lege*: distinguitur. *p* 52. *lin.* 6. *lege*: duri. *p.* 59. *lin.* 2. *ab ult. lege*: foderis. *p.* 60. *lin.* 27. *pro* S. Quintain, *lege*: S. Quintin. *lin. seq. pro* loué, *lege*: louc. *p.* 68. *lin.* 6. *ab ult. pro* subd. *lege*: subtil.

Præcellenti

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0087
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0088
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0089
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0090
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0091
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0092
DFG

Byſantiorum apud eund. *Ariſt. d. l.* nec
niæ inopia ſubditi à ſuperiore jubentu
vendere, ut pecuniam inde redactam
Mendæorum & Regis Antiſſæi apud
in eundem finem ſubditis aufertur. It
militibus à ſe debita, quæ ſolvere non
nuerunt, ſoluto interim ducibus fœn
ſolvendi ſuppeteret. Ariſt. *d. l.* Denic
ſacrum & Deo dicatum quoque mut
exemplo Heraclii Imperatoris, referet
ne quam Grotius habet *d. l. B & P. II*

§. 68. Forma Mutui P. *alia* comun
pria. Utraque *vel* Eſſentialis *vel* Accide
eſt *vel Generica*, quam communem
bus, quæ Mutuum Publicum non ſi
tuum, communem habuit; *vel Speci*
blicum eſt diſtinctumque ab aliis; ſi
gulis ſuis ſpeciebus quas ſuperius attu
P. eſt factum quoddam ſeu contractus
& accipitur hac lege, ut in genere rei
quiſitis hæc forma abſolvatur, docet
Cr. θ. 14. *ſeqq.* Per *hanc* eſt Contractus
Civitatis poteſtas rem fungibilem ad
ſtates propellendas mutuo rogat, acc
rius jam expoſuimus, ſuisque ſubjectis
ca formam *genericam* quærendum hic;
Ctus nominatus? Certe non eſt nominatu
re & Grotius naturam ſequens, Mutuu
ctuum, *Do ut des*, refert, *de l. B & P. I*
omnino indiſtinctè hic ſentimus. Dei
Juris, qualis Mutuum privatum commu
mus, hic pro contractu Bonæ fidei vid
Exea *de pact. n.* 407. Non obſtat, Pri
debere jure privato.

§. 69. Communem hanc Mutui

o in pecu-
ilem ſuam
exemplo
ſa ſupellex
ii ſtipendia 5.
quaſi reti-
ec modus ea
x argentum 6.
umi poteſt;
ue ex ratio-

eciebus pro- *Formæ Mutui P. diſtinctio. Communis eſſentialis quid & quotuplex?*
is eſſentialis
& contracti-
vis ſunt Mu-
um hoc, Pu-
is ſimul ſin-
m Mutuum
bilis datur
is autem re-
l. A. de Reb.
quo ſumma
m & neceſ-
quam ſupe-
imus. Cir- *Qq. ad formam Gen. ſpectantes. 1. Num M. P. ſit Contractus nominatus? 2. Num ſtricti Iuris?*
P. ſit contra-
tivilis, qua-
nus contra-
tamen non
actus ſtricti
Reſponde-
7. Andr. ab
ractibus uti

bit omnium *Mutui P. forma omnium*
actuum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428530/phys_0093
DFG